DE VARIETATE

FABULARUM TROICARUM

QUAESTIONES.

SCRIPSIT

IOS. ANTON. FUCHS.

COLONIAE AD RHENUM,

SUMPTIBUS GERARDI PAPPERS BIBLIOPOLAE.

MDCCCXXX.

id prorsus e Graeco exemplari expressum, num fabulae plures contaminatae, num denique in argumento Graecae tragoediae aliquid contra traditum antiquae narrationis ordinem immutatum esset; in quo mihi Naekii praeceptoris colendissimi exemplum animo obversabatur. Cumque Homeri aliorumque poetarum locos enotarem, Dictyn quoque in manus sumsi, statimque intelligebam, hanc de fabulis quas hic scriptor congessit paulo ab ea quam egomet mihi proposueram quaestionem diversam esse. Quoad igitur magistri muneris, quod interim susceperam, otium suppetebat, ex omnibus scriptoribus quoscunque attingere poteram fabulas, quae ad cyclum Troicum pertinebant, colligebam, sicque hic libellus confectus est. In quo quidquid bonae frugis inest, id NIEBUHRII liberali exhortationi debetur, quem virum nos Rheni accolae datum nobis divinitus esse gratulamur, ut studia atque amorem litterarum antiquarum, quas ipse ingenio summo et doctrina admirabili illustrat, in animis omnium confirmet exemplo praeclaro; cuius memoriam dum vivam grate pieque uti decet colam.

Singulos vero tragoediarum auctores et dramatum inscriptiones ubicunque sermo esset de fabulis, quas argumenta carminum si-

bi selegerant, non adscripsi, ne aberrarem a fine proposito. Id enim agebam, ut omnem varietatem ordine enarrarem. Hinc etiam factum est, ut ubi de mythologia et religionibus agi posset, ea ego praetermitterem, quod hanc caliginosam regionem, cum eam perquirere et perlustrare non possem, dubius et anxius pererrare nollem; neque, quippe adulescentulus etsi tantum veritatis studiosus, satis poteram cavere, ne970ferociter auctoritatem virorum doctorum laederem, quorum praeceptis ipse adiutus fueram. Sed si quis tragoediarum aut aliorum carminum argumenta, quidve artificiis exprimatur, quae fabulas e cyclo Troico desumptas exhibent, perquirat, si quis, quanta inde a remotissima antiquitate in his fabulis varietas consentiens et consensus varius fuerit, intelligere ex exemplo proposito cupiat, ei hanc exiguam operam gratam fore spero. Neque id parvum iudicio, quod Wolfii immortalis viri sententia de origine Homericorum carminum fortasse aliquommodo firmari possit. Est praeterea hicce libellus quasi pars prior novae Dictyis editionis, quam paravi; hinc excusari potest, quod tam frequens eorum scriptorum, qui aut e Dictye hauserunt aut aetate aeque recenti scripserunt, mentio facta sit.

Molestum autem et vituperandum videbitur iudicibus severis orationis genus varium fluxum et inconstans, quin hinc inde haud satis Latinum, quale est in hoc libello: eius rei veniam mihi dabunt, quicunque cogitaverint, e quam variis Latinis et Graecis scriptoribus fabulae eae omnes conquirendae fuerint, quamque difficile sit, in tali congerie constans clarum et vere Latinum scribendi genus accurate servare; equidem licet maximo adhibito labore, licet sexies et septies locum eundem retractassem, tamen superesse videbam, quae aliter dicta vellem.

Non possum non animo obsecundare, quin hoc loco gratias agam quam maximas viris clarissimis, e quorum disciplina prodisse glorior, quorum beneficiis in absolvendo studiorum academicorum curriculo me sustentatum esse profiteor, HEINRICHIO, BRANDISIO, NAEKIO, WELKKERO, academiae Borussicae Rhenanae luminibus; utinam haecce oppella non prorsus Iis displiceat, ne indignus Eorum doctrinae alumnus habear, Quorum exempla egregia semper sequi studebo.

Scribebam Coloniae Idibus Aprilis
MDCCCXXX.

CONSPECTUS CAPITUM.

I. De Genere Atridarum.
II. De Genere regum Troianorum.
III. De Genere Helenae.
IV. Raptus Helenae.
V. Paridis errores, legatio Graecorum.
VI. Apparatus belli, catalogus navium.
VII. De Achille.
VIII. De Palamede.
IX. De sacrificio Iphigeniae.
X. Graecorum adventus in Mysiam, Telephus.
XI. Graecorum adventus, civitates circa Troiam expugnatae.
XII. Res in Iliade narratae.
XIII. Achillis et Aiacis caedes.
XIV. Neoptolemus et Eurypylus.
XV. Paris occisus, Helenae et Deiphobi nuptiae.
XVI. Ulysses speculator, raptum Palladium.
XVII. Equus ligneus, Ilii excidium.
XVIII. Reditus Achivorum.

Παλαιγενέων κλέα φωτῶν.

APOLL. RH.

A tale of the times of old.

OSSIAN.

Maiorum memoriam resque gestas carminibus celebrare, commune erat omnibus antiquis populis institutum, neque nunc ulla fere gens inveniri potest tam suimet ipsius atque omnis gloriae despiciens, quae immemor originis suae patrum laudes posteris non tradiderit. Quod studium ab ipsa quoque natura in animis hominum impressum est, cum ea sit mortalium conditio, ut praesens temporis momentum, nisi dum iam praeterlapsi recordantur, perceptum atque comprehensum conscientia revera non teneant. Sed animis in diversa distractis aut praeterita repetimus aut futura fallaci arte repraesentantes praeripimus, felicitatemque, quam studiosissime omnes appetimus, aut ereptam lugemus aut sero tandem venturam expectamus; eoque duplici compendio praesentis vitae rationes consolamur, iucunda antiquitatis memoria et spe dulci salutis. Sic aurei illius aevi memoria nulla vetustate in omni genere humano deleta, quam gentes et homines singuli primae aetatis laetaeque iuventutis memores celebrant, ubique superest neque unquam evanescet, et eandem aetatem, fore ut certo temporum ordine aliquando rediret, sperare iubebantur veteres oraculis et vaticiniis, ac nos quoque speramus. Itaque fieri potuit, ut remotae vetustatis descriptio aevi futuri quodammodo imago haberetur; doctus poeta vates divinus existimaretur et sic cum religione coniungeretur poesis. Quam arcto autem vinculo quamque variis nexibus antiquorum poesis;

discerpas misere, quod antiquitus et primitus coniunctum fuit, neve dum disiecta membra respicis, unum olim solidum vivumque corpus fuisse obliviscaris. Nam si unquam alibi, fuit in religione veterum una quaedam species, ad quam conformabantur omnia, unus quasi animus et spiritus, quo cuncta movebantur atque animabantur. Sed illis ipsis, qui veterum studiosa lectione enutriti non imaginibus sibi informatis sententiisque philosophorum decepti inquirunt, quid illud unum fuerit, gratum me fecisse facturumque arbitror, si cunctam fabularum seriem ea quam supra demonstravi ratione disposuissem. Quarum partem aliquam iam nunc mihi sumpsi, ut fabularum Troicarum varietatem perquirerem, in quibus id, quod volebam, facillime et aperte deprehendere posse mihi videbar, cum et poetae divini, cuius sancta quaedam inter Graecos habebatur auctoritas, de his rebus carmina extent tum antiquissima tum omni arte perfectissima, cumque fabulae ipsae a tragicis imprimis poetis omnisque generis scriptoribus et artificibus vario modo nobis traditae sint: quibus ipse edoceri posse sperabam, quae via ineunda, quo labore defungendum esset. Quae quidem Homeri carmina etsi non omnem ambitum maximam tamen partem fabularum Troicarum complectuntur; reliquae ab aliis poetis cyclicis ita enarratae sunt, ut cum illis unum quasi corpus, si rerum gestarum seriem spectes, conficerent, ut apparet e carminum argumentis, quae Proclus nobis servavit. Eorum autem poetarum cyclicorum antiquissimus fuit auctor carminum Cypriorum; sed Homerum multo antiquiorem esse colligere licet inde, quod ea carmina cum Iliade ita coniuncta sunt, ut ad eam tanquam ad absolutum certisque limitibus circumscriptum carmen respiciant; quod fieri non poterat, nisi Ilias iam tum temporis maximam

certe partem in unum corpus redacta habita esset. Sed hic quisquis fuit poeta, sive unus sive plures fuerunt auctores, ipse et qui aequalis Homeri haberi solet Hesiodus. in fabulis ab Homero dissentiunt.

Inter Homerum autem et Hesiodum, quos eiusdem esse aetatis nemo, opinor, cum Sturzio (ad Hellanic. fr. pag. 171) statuet, ego unum illud temporis discrimen, quod nobilissimi antiqui et recentiores critici statuerunt (Wolf. Prolegg. pag. XLII. not. 9), interesse non censeo. Homerum Ionem fuisse constans totius antiquitatis fama est; de Ionibus autem, qui in felicissima Asiae minoris regione laeti et opulenti vivebant, semper mihi versus memoratu dignissimi hymni in Apollinem (vss. 151. sqq.) occurrunt:

Φαίη κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι αἰέν,
ὃς τότ' ἐπαντιάσει, ὅτ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν,
πάντων γάρ κεν ἴδοιτο χάριν τέρψαιτο δὲ θυμόν,
ἄνδρας τ' εἰσορόων καλλιζώνους τε γυναῖκας
νῆάς τ' ὠκείας, ἠδ' αὐτῶν κτήματα πολλά.

Erant hi felices et ingeniosi homines, quorum laeti animi nulla tristi tetricaque disciplina perversi neque de se neque de rebus suis unquam desperabant; ipsi industrie et laboriose paratis rebus hilares fruebantur; artiumque, quas studiose excolentes ad aeternam pulchritudinis speciem oculos manusque dirigendo prope summum laudis fastigium iam tum efferebant, monumenta praeclara primi statuebant; non illi inter spem metumque dubii desides et inertes vacillabant, neque dum praemia laborum assequi studebant, labores ipsos reformidabant, nec vanis et immanibus portentis territi laetos animorum impetus frangebant. Cuius rei indicia in Homeri quoque carminibus apparent. Observatum est aliis, non consentire inter se, quae de fato et imperio voluntateque

Iovis in Homericis carminibus traduntur. Dici ea potest talis discrepantia, quae populi moribus apta sit et propria, sed is non erat vates ille divinus, ut ad triste et inexorabile fatum cuncta referret et ludibria deorum homines esse diceret, etsi talis querelae non semel oblata fuerit occasio: nam si ad iram Apollinis non modo sed ad placitam Iovi sententiam tota Achivorum pernicies refertur, [3]) si Iovis dolus causa malorum et calamitatum dicitur, quae per novem annos Graeci pertulerant, laborumque, quibus in tot pugnis defungendum erat, poterat profecto de his conqueri poeta; sed longe aliter sentit, nihil dulcius esse, quam vita luceque solis frui, nihil morte miserius: tantum aberat ab illa doctrina, quae sententias et querelas aegris et oppressis mortalibus elicit, qualem Sophocles (Oed. Col. v. 1225) affert, [4]) quae Sileno tribuitur a Cicerone (Tusc. Q. I, 48.) a Theognide (v. 417 Br.) expressa est, et cum Thracum institutis comparari potest, qualia ab Herodoto (V, 4.) describuntur. [5]) Homerus ut deos etsi immortales immensaeque magnitudinis et roboris infiniti hominibus similes esse dicit, ita mortales, licet morti succumbant, diis aequiparat fortitudinis et formae gloria, quam immortalem perpetua posterorum memoria celebratum iri opinabatur, neque haec eum opinio fefellit. Talia sunt carmina illa, quae monumenta nobis

---

3) Il. α, 5 Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή cf. 564.

4) μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον; τὸ δ', ἔπει φανῇ βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.

5) Herodoto imprimis hanc sententiam nescio an placuisse an probatam esse dicam, nam iterum Soloni ad Croesum (I, 32.) et Artabano ad Xerxem (VII, 46) loquenti tribuitur.

supersunt gentis ab omni servitio liberae, nullis ceremoniarum vanis studiis distractae et perversae, nullis sacerdotum machinationibus obnoxiae atque obstrictae, nulla eorum consortione unquam oppressae.

Tria potissimum sunt, quae contra hanc sententiam disputari possint; et primo quidem, Homerum ut Herodotum reverentem Deorum numina divina omnia sacraque explicare noluisse et consulto multa praeteriisse silentio; quod equidem, quomodo fieri potuerit, non intelligere aperte profiteor. Aut enim Homerus tempora illa vitamque, qualis tum erat, expressit, aut non expressit; si non expressit, nullum omnino ex eius carminibus argumentum proferri potest; nihil omnino ad historiam ea carmina pertinere iudicandum est; si autem expressit, quod ex ipsis carminibus apparet et omnes certum et verum statuunt, quaero, quomodo ex his carminibus efficere possis, fuisse sacerdotes illos rerum dominos gentemque infulatam, quorum alii, ut augures Romani cuncta decreta rescindere possent, alii, ut Samuel ille, reges constituerent, alii, ut Magi, scientiam siderum et vaticinandi artem sibi reservassent aliaque munera praecepissent, alii, ut sacerdotes Aegyptii, regem observarent et quasi custodirent, alii Levitarum more scribarum et historicorum aut, ut Druidae, medicorum muneribus fungerentur, morbis mederentur, praeconum officia exequerentur: nihil quod comparari cum his possit, legitur; sed reges ipsi sacra faciunt, cum senioribus de salute publica consultant, placita exequuntur; et si portentum aliquod aut signum ostendatur, ipsi se expedire sciunt; si vero sciolus aliquis accedat et deterrere omine studeat, responsa dant quale Hector: [6]) εἷς οἰωνὸς

[6]) Il. μ, 243.

ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης — At Chryses ille, ob cuius iniuriam pestis divinitus missa invasit exercitum, Calchas, qui vaticiniis ad Troiam Graecos duxit, Dolopion Troianus Scamandri sacerdos, quem ut deum venerabundus populus suspiciebat, quid tibi tandem videntur? Audio; sed Apollo dum Graecos punit, Iovis voluntatem exequitur, neque Chrysen magis amat, quam Ulyssi Minerva favet; Calchas, Helenus, aliique privati artem suam exercent publica propterea nulla auctoritate insignes, et illius, qui Agamemnonem tantopere timet et tam anxius de salute sua, quae cognoverat, vix aperit, rara admodum fit mentio, neque ipse in ulla re ceteris principibus praeponitur, sed ne primis quidem par habetur. Sacerdotes autem, ut Dolopion, Dares, a populo constituti erant, [7]) idemque honor aliis tribuitur [8]); neque tamen sacerdotes magni facit Priamus, neque Telemachus vaticinia curat, [9]) quae anxia mater ex hominibus quaesierat, qui, si locum hunc Odysseae recte capio, artem illam profitentes Zigarorum more terras peragrasse videntur. [10]). Ex Homero itaque illud colligi non poterit, nihil autem, ut lis diiudicaretur, magis necessarium erat, quam ut oraculorum omnia instituta perquirerentur et de hominum fatidicorum generibus accuratissime ageretur.

Aut tristis illius disciplinae doctrinaeque morosae, quae tam erat, Homerus meminisse noluit, ne hilaritatem poeseos corrumperet laetumque carminis colo-

---

7) Il. ζ, 300.

8) Il. λ, 58; μ, 312, de Glauco et Sarpedone.

9) Il. ω, 216; Od, α, 415.

10) Plato certe suis temporibus factum dicit, de Rep. p. 364.

rem turbaret. In Homero enim totius culturae omniumque artium, quae deinde apud Graecos effloruerunt, omnia semina coniuncta sunt; ea autem hilaritas laetusque ille color prima erant, quae in omni carmine et quovis artificum opere requirebantur. — Sed tum tales non erant neque temporum neque vitae rationes, tam discordes et diversae, ut poeta ex subtilibus computatae festivitatis et exquisitae elegantiae legibus, quid dicendum aut tacendum esset, iudicaret, non ita in diversa abierant hominum illorum studia, ut poetae stoica superbia aequalium suorum saeculique vitam moresque fastidirent, neque homines ea mollitie effaeminati erant, ut vitae labores recordari nollent, quos fontes laetitiae et dulcis otii fundamentum cognoverant [11]. Insedit profecto in Graecorum poetarum atque artificum pectoribus aeterna pulchri et honesti species, ex qua cunctas divinae artis regulas legesque hauserunt, neque, nisi perditis temporibus delicatuli posteri, unquam ullus eas leges neglexit; sed opposita fuisse eorum studia a prima continuo aetate ipsius vitae rationibus nunquam mihi persuaderi poterit; quae enim contraria sunt, oppugnant se invicem, et urguent et superare student et superat tandem alterum. Sed illud ipsum, quod in Graecis admiramur, studium tale esse nunquam poterat, si religionis limitibus circumscriptum fuisset, quae semper certum aliquod et accurate definitum tenet, neque, nisi immutata prius ipsa fuerit, amittit. Quod studium si religioni oppositum adeo fuisse dicitur atque contrarium, tum demonstrandum est, quomodo vinculum illud, quo poesis ceteraeque

---

[11]) τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. Hesiod. ἔργ. 287.

artes cum religione coniunctae erant antiquitus, paulatim dissolutum ac deinde discissum sit; quod nonnisi extremis Graecae libertatis temporibus aliquo tantum modo factum esse constat.

At, inquiet fortasse aliquis, nonne quae poeseos statuuntur initia, τηλεταὶ, χρησμοὶ, καθαρμοὶ, παραλύσεις, ἀκέσεις νόσων, aliaeque incantandi, curandi morbos, et vaticinandi formulae satis aperte sacram eius originem comprobant usumque definiunt, et a quibus exculta sit, edocent; an quae de Orpheo, Lino, Musaeo, aliisque dicuntur falsa cuncta putas, ut ne respicias quidem; nonne Homerus ipse tales formulas novit, quibus sanguis e vulnere fluens retinebatur?

Formulae illae solennia verba erant, a Livio quoque carmina nominata, quae usu et vetustate sanctam auctoritatem et vim peculiarem habere credebantur, et eo tenacius, quod litteris mandata non fuerant, memoria tenebantur ab antiquis et religiose custodiebantur; illa autem, quibus vulnera sanare studebant, tanti facienda non sunt: tunc enim iis utebantur, postquam membris laesis apte circumligatis remedia salutaria imposuerant; quales formulas Plinius [12]) multas descripsit, omnino iis similes, quibus matres hodieque utuntur, cum filioli digitum temere laesum circumligatum linteolo blande afflant, versulosque decantant. — Poetae autem illi, quorum nulla in Homeri carminibus extat memoria, etsi principes omnis Graecae poeseos a nonnullis habebantur et habentur, neque meritis neque iure quaesita auctoritate et gloria florere mihi videntur. Unius apud Homerum nomen legitur, Thamyridis, quem vir doctissimus in

---

[12]) Plin. H. N. XVIII. pluribus locis.

celebratis illis vatibus habendum esse dixit, qui Graeciam peragrasse et humanitatis culturaeque semina dispersisse narrantur. Sed idem vir doctus, qui non partem quandam, sed universam antiquitatis doctrinam, ut pauci, ingenii amplitudine complectitur, illam rhapsodiae Iliadis partem, qui catalogus navium dicitur e variis aetate et argumento diversis laciniis consarcinatam esse affirmat, et hos ipsos versus, quibus Thamyridis memoria traditur, in antiquissimis illius catalogi partibus numerari debere, illum unquam comprobaturum esse dubito. Carmina sacra ante Homerum fuisse dubitari nequit, sed perpauca nobis de iis sunt cognita; apud Homerum ipsum plurima heroicorum carminum vestigia deprehenduntur. Utrum hymni, quos Plato et Pausanias memorant, tales, quales postea habebantur, genuini fuerint, pro certo affirmari non licet. Breves eos fuisse neque amplos, simplices omnino neque ullo fuco orationis illitos iudicabit, quicunque, quam breves simplicesque fuerint apud antiquos orandi formulae, cogitaverit. Tales itaque Paean ille et Linus, [13]) qui in Homericis carminibus memorantur, fuisse credendum est. Alia autem maiora et certum rerum complexum continentia carmina, quae deinde antiquis illis poetis vulgaris hominum fama tribuebat, de his ego Herodoti [14]) iudicium verum esse censeo, recentioribus ea poetis, quam fuit Homerus, originem suam debere; idque

---

[13]) Il. α, 472; σ, 570, et θρῆνος quoque Il. ω, 721.

[14]) II, 53. Ego certe nescio, quomodo Herodotus de antiquis illis temporibus tam perverse et inepte iudicasse dici possit, ut dixit vir doctus; nam eius ipsius auctoris verbis et narrationibus omnes utuntur, ut quae meae sententiae contraria est, eam defendant et comprobare studeant

composuerunt quasi historiam, ut iidem historiam quasi poetarum carmen habuerunt. Hinc mirae illae varietates in genealogiis, in nominibus, in regionibus, in locis, hinc illi late diffusi patulique fabularum orbes, quos concludere maxime labore frustra connitaris; hinc facetae et ingeniosae nominum allegoriae, quae mutandis antiquis fabulis plurimam occasionem praebuerunt, hinc acriora studia gentium atque civitatum, singulare aliquid et inauditum narrandi, quo excellere sibi videbantur.

Sequuntur tragici poetae, qui fabulas e connexu tollebant et ut in usum suum converterent accuratius singulas enarrabant, ita tamen, ut alia omitterent, adderent alia, prout dramatis oeconomia postulare videretur; cum vero idem argumentum complures poetae dramatice describerent, confundebant varias fabulas, ut non semel Euripides fecit, aut aliter eandem contra poetarum traditam narrationem fingebant, unde omnino maxima exoriri debuit varietas [18]): quod eo maioris erat momenti, quaeque varietas eo latius patet, quia ex his ipsis tragicis poetis tanquam vivis fontibus recentiores mythographi velut Apollodorus hauserunt. Caeteri autem poetae, dum fabulas commemorant vel ex historia mythica exempla sua eligunt, tragicos imprimis respexerunt; quod prae aliis in Ovidii carminibus apparet, in quibus argumenta tragoediarum et latinarum, praecipue integra leguntur. Quod cum tragicorum narrationes a pluri-

---

[18]) Herodot. II, 156, de Aeschylo; cf Schütz ad Aesch., Pers. pag. 8. Agam. v. 1586. Schol. Il. ι, 448 et saepius. Serv. ad Aen. VII, 320. Valk. Diatr. pag. 272 ed Lips. Pausan. I, 3, 3; qui locus demonstrat, quid de fabulis tragicorum statuendum sit et quomodo illae tamen animos hominum occupaverint et veterem memoriam deleverint, docet.

mis scriptoribus commemorantur, fieri potest, ut qui maxime divulgatus est fabulae ordo, eum habeas antiquissimum, in qua re iudicanda summa opus est cautione; uti quoque in heroibus ipsis heroumque nominibus discernendis, quae uti locorum et regionum nomina a tragicis poetis commutata saepius esse et confusa veteres ipsi monuerunt.

Neque philosophos praetereundos esse censeo, qui, dum explicare et interpretari fabulas studebant et in heroibus omnis virtutis illustria exempla, in fabulis vero morum praecepta quaerebant, et ipsi immutabant poetarum antiquiorum narrationes, et ut ab aliis immutarentur fecerunt [20]; extiterunt enim, qui coniungere discordia et ad unum principium revocare rivulosque quasi ad fontem reducere niterentur.

Quartam hanc subsequitur ultima aetas mythographorum, qui cuncta sine ullo delectu corrasa et congesta in unum librum conscripserunt, qui remotiora saepe negligentes, dum usum spectabant, vulgatiora ex iis poetis, quos in manibus videbant plurimorum, et ex iis scriptoribus, quorum gloria praecipua erat, sua contulerunt, ipsique aliis scriptoribus, qui historiunculas amatorias atque fabellas delectantes consarcinabant, materiem suppeditasse videntur. Historicorum illorum, qui universam condiderunt historiam, praecipua ratio habenda esse non videtur, qui eorum auctorum, quos modo indicavi, scrinia compilaverint. Addi poterant potius theologi atque auctores Christiani, qui animi ardore abrepti aut in Graecorum narrationibus suam doctrinam innui credebant, aut exemplis mythorum distractis et fabellis nonnunquam fictis perverse abutebantur.

---

20) Cic. N. D. I, 14 de Zenone, 15 de Chrysippo. Heyn. ad Il. α, 4 de Stoicis.

Haec igitur sunt scriptorum genera, qui variis temporibus successerunt, e quibus rationes illas desumi posse credo, quibus narrationes antiquarum fabularum distinguantur: quod tamen ita fieri non poterit, ut leges certas quasi definias, quibus omnis varietas narrationum iudicari possit; sed ut hac ratione digesto fabularum vario ordine, si a te ipso comparatio rerum facta fuerit, quid omnino inde efficiatur quidque colligi possit, intelligas. Quae tamen res tum demum utiliter et fructuose fieri poterit, si verba auctorum adhibitis codicibus critica opera emendata et historia poeseos epicae descripta erit. Ad quem susceptum laborem, si probatus fuerit viris doctis, utinam vires mihi et otium suppetant et augeantur.

CAPUT I.

DE GENERE ATRIDARUM.

Atridarum paternum genus ad Pelopem, maternum ad Minoem Cretae regem refertur. Minois enim filius Atreus fuit, cuius filiae Clymene Nauplio, Aerope Plistheni nupserant; Plisthenes ex Aeropa genuit Agamemnonem et Menelaum filios, filiamque Anaxibiam, quam Nestor uxorem habuit: (Apollod. III, 2, 1 et 2; Dict. Cret. I, 1). Pelopis autem fuit filius Atreus, Plisthenis pater; de cetera Pelopis progenie infra uberius disseremus.

Minos, Cretae rex, tum origine clarus, ex Iove enim eum Europa Phoenicis filia genuisse dicitur (Hom. Il. ξ, 31; γ, 450; Od. λ, 566; τ, 178), tum iustitiae et opum gloria insignis, qui adeo maris imperium tenuisse narratur, (Herodot. III, 122; Thucyd. I, 4), omni laudis genere apud veteres celebratissimus fuit. Non minor tamen de Europa fama fuit, quae in dearum numero habita est; eandem esse cum Astarte, et Sidone praecipue cultam esse refert Lucian. de Dea Syr. 4. Cretae templum eius magnificentissimum memorat Dictys l. l. Singularia de ipsa carmina extitisse videntur; laudat Pausanias IX, 5, 8 *τὰ ἔπη εἰς Εὐρώπην*, quorum auctor Eumelus Corinthius fertur; Schol. ad. Il. ζ, 130 cf. Heyn. adn.

ad Apoll. p. 211. Europam Phoenicis filiam dixi, alii patrem Agenorem tradunt: Apollod. 3, 1, 1; Diodor. IV, pag. 247 ed. Wess. (cap. 2); Luc. Dial. mar. 15; Ovid. Met. III, 3. II, 358, ubi cf. Burm.; Fast. V, 605; Hyg. 155; Schol. Il. ξ, 321; Serv. ad Virg. Aen. III, 88. Pherecydes coniunxerat utrumque (Schol. ad Apoll. Rh. III, 1186; fragm. 15. pag. 105.), ut Phoenix dicatur Agenoris filius, Phoenicis filia Europa; qua ratione saepius antiquissimi illi historici usi sunt, ut fabulas discordes coniungerent. Ioannes Malelas (pag 34 ed. Hod.) hoc quidem poetis tribuit; sic enim ille: *οἱ ποιηταὶ ἐξέθεντο τὴν Εὐρώπην θυγατέρα εἶναι Φοίνικος τοῦ υἱοῦ Ἀγήνορος βασιλέως, μὴ ὁμοφωνήσαντες τοῖς χρονογράφοις.* De Agenore quae narrantur cum rebus Aegyptiis coniuncta sunt, cf. Heyn. ad Virg. Aen. I, 338; haec itaque a recentioribus concinnata est narratio. Non a Iove ipso, sed a Creta aut Cretensibus raptam esse Europam novissimi fabularum enarratores tradiderunt. Dict. Cret. II, 26; Tzetz. ad Lycophr. 1298.

Filius ille Minois et Atreus et Catreus nominatur; utrumque recte legi potest, nam eadem nominum diversitas alibi quoque observata est; cf. Welcker. Prometh. pag. 130, not. 171; exemplis ibi allatis addi possunt Clearchus et Learchus (Tzetz. ad Lyc. 21. pag. 308. ed. Müll.), Tiphys et Iphys, Schol. ad Apoll. Rh. I, 105; Bateia et Ateia, Sturz. ad Hellan. fr. 72; cf. Schol. ad Il. β, 413. Eust. ad Il. ζ, 403, ubi alia exempla. Codicum plerumque lectio fluctuat, ut apud Diod. IV, pag. 304; V, pag. 377, 395. quo loco *Ἀστρεύς* vitiosum certo est; Paus. VIII, 53, 4; Dict. Cret. I, 1. Alios praeter Atreum filios Minos genuerat, quorum Idomenei pater, Deucalion, notissimus est. Hunc Diodorus (V. p. 395) natu maximum fuisse dicit, atque ex Homerico versu Il. ν, 451 eum

Minoi in regno successisse concludi posse videtur. Diodorus autem in rebus Cretensium narrandis varios auctores secutus est, quorum quatuor ipse nominat. Dosiadem, Sosicratem, Laosthenidem et Epimenidem, ut mirum non sit, si cuncta quae narrat non congruant. Sic Atreum regnasse dicit post Minois mortem, ut Apollodorus l. l. 2, §. 3, qui tamen alio quoque ordine Atreum primum ut natu maximum ponit, deinde Deucalionem. Sturzius ad Pherec. pag. 187 Deucalionis matrem Pasiphaen aut Cretam fuisse dicit, illam quidem recte, non tamen hanc, quae Deucalionis filia fuit. cf. Apollod. III, 3, 1. Tzetzes ad Lyc. 431 Idomenei matrem Cleopatram nominat. Deucalionis deinde filius nothus Molus dicitur, Il. κ, 269. Diod. V, p. 395; Moli et Melphidis (Hyg. 97) fuit Meriones. Il. ν, 247. Quint. Sm. VIII, 409. Apollod. l. l.

Filios Atreus non reliquit, praeter Althemenem, qui patrem ignorans necavit, Apollod. III, 2, 1 et 2; et terra haustus est: Diod. V. pag. 377. Dictys autem Atreum domi testamento facto rebusque omnibus dispositis obiisse narrat. Filiarum eius

Clymene Nauplio nupsisse traditur, unde geniti Palamedes et Oeax, Apollod. III, 2, 2; Schol. Eurip. Orest. 422 (Matth.) Alias Nauplii uxores enumerat Apollodorus II, 1, 5, §. 14; ubi filium quoque tertium addit Nausimedontem.

Aerope, quae Plisthenis uxor dicitur. Hunc Plisthenem ab Homero ignorari Scholiastes et Eustathius ad Il. α. 7 contendunt, neque Thucydides (I, 9) eum agnoscere videtur. Sed Hesiodus eum patrem Agamemnonis et Menelai, uxoremque eius Aeropen fuisse tradiderat, fragm. 100. ed. Dind.; Tzetzes cum Hesiodo Aeschylum quoque huius de Plisthene narrationis auctorem affert, qui quidem Agamemnonem

e Plisthenis genere ortum dicit, (Agam. 1602 cf. 1569); sed idem patrem eius claris verbis Atreum nominat, cf. vs. 1584, 1591; Eurip. Iph. A. 474; Iph. T. 1 sqq. Ab omnibus qui progeniem Pelopis recensent Plisthenes aliquis memoratur, frater Atrei, cf. Schol. Pind. Ol. I, 144, qui ex pluribus quidem auctoribus ut videtur vario modo sex illos Pelopis filios enumerat, Plisthenem autem nunquam omittit; Scholiastes autem Eurip. Or. 5 Plisthenem hunc non novit. Fuit tragoedia Euripidis, Plisthenes inscripta, (Valk. Diatr. de Eur. tr. dep. p. 12), cuius argumentum Hyginus narrat fab. 86. Cressam Atridarum matrem fuisse, constans tragicorum poetarum fama est, eamque Aeropen aliquot locis expresse nominant: Soph. Ai. 1209; Eurip. Or. 18; Helen. 390; Lycophr. 149, ibique Tzetz.; Schol. Il. β, 106; Serv. ad Aen. II, 262; adde I, 568; Lact. Plac. XII, 1. Creusam nomen eius affert Schol. Il. l. l. nisi vitiosum est id nomen et emendandum Κρῆσσα. Philyram Schol. Eurip. Or. 5. Cum autem in omnium poetarum carminibus hae de Atridis fabulae frequentissime commemorari solebant, facillime maior quaedam in iis exoriri poterat varietas. Cur Agamemnon et Menelaus Atrei filii plerumque a poetis dicti sint, eandem afferunt causam Porphyrius ap. Schol. ad Il. β, 249; Dict. Cret. I, 1; Ioann. Malel. p. 117: quod cum Plisthenes agens in primis annis vita functus nihil dignum ad memoriam nominis reliquisset, Atreus eos miseratione aetatis secum habuerit et educaverit. Quae Lucianus (Tragoedop. 255) de Plisthenis podagra dicit, iocose magis quam serio narrata videntur.

Nestoris uxorem Homerus Od. γ, 432 Eurydicen Clymeni filiam dicit, quam post Anaxibiae mortem ductam ab eo Eustathius ad Il. β, 588 tradit; Pausanias autem (II, 29, 4.) Anaxibiam sororem Agame-

mnonis Crisi Phocensis uxorem fuisse memorat, unde Strophius natus, e quo Pylades; aliam deinde narrationem Euripides Iph. T. 886 (cf. Schol. ad Orest. 33, 753) sequitur, Cydragoram Atrei filiam nuptam fuisse Strophio, quam tamen Hyginus f. 117 Astyocheam nominat. Consentit cum Dictye Apollodorus I, 9, 9, 3, ubi pro *Κρατιέως* legendum omnino *Κατρέως*, neque erat cur Heynius dubitaret.

CAPUT II.

DE GENERE REGUM TROIANORUM.

Generis auctorem Iovem ipsum poetae celebrant, Homeri auctoritatem (Il. *υ*, 215) sequentes; in aliis tamen magna est poetarum celerorumque scriptorum dissensio; in quibus id primo mirum videtur, quod recentiores auctores Troianos et Graecos affinitate coniunctos fuisse variis modis genealogiarum comprobare studuerunt, etsi eius rei apud Homerum vestigium nullum extat. Est autem series regum Troianorum secundum Homerum haec:

Iupiter cum Electra
|
Dardanus
|
Erichthonius
|
Tros
|
Ilus, Assaracus, Ganymedes, Cleomestra cum Aesyeta

Ilus — Laomedon
Assaracus — Capys — Anchises
Cleomestra cum Aesyeta — Antenor

Laomedon —
Tithonus, Priamus, Lampus, Clytius, Hicetaon, Thymoetes, Bucolion et filiae tres.

Atlas e Pleiona Oceani filia Electram genuisse dicitur, Sch. Pind. Nem. II, 16; Schol. ad Il. σ, 486 e Cyclicis et Hellanico; cf. Diod. V, p. 369; Apollod. III, 12, 1. Quint. Sm. II, 140; Ephorus ap. Schol. Eurip. ad Phoen. 7; Ovid. Fast. IV, 3 sqq; Virg. Georg. III, 35; Aen. VIII, 135; Apoll. Rh. I, 916; ibique Schol; Serv. ad. Aen. VIII, 138; Prob. ad Georg. III, 25; qui e Scyllo tragico sua haüsisse dicit; Hyg. 155; Dion. Hal. Ant. R. I, 71; Conon narr. 21; Schol. Arat. 259; Strabo (VIII, pag. 532. C.) Atlantidas et Dardani originem coniungit; adde Hellanic. fragm. 71 et 24. Timaeus apud Schol. Il. l. l. Aetheram Oceani filiam uxorem Atlantis nominasse traditur. Scriptores autem laudati etsi non omnes Pleionam Electrae matrem dicunt, ea tamen et antiquissima et vulgatissima fabula fuit, cum eam cyclici et Hellanicus narrasse dicantur; singularia itaque et mira Dictys affert (I, 9; IV, 22), Atlantem ex Hesiona Danai filia Electram genuisse; fluctuat ibi quidem codicum lectio, et codices et edd. vett. Pleionam exhibent, sed recte Mercerus alteram lectionem suscepisse videtur, nam id vult Dictys, ut Helenae affinitatem, qua cum Troianis coniuncta esset, demonstret, ob eamque causam hanc, quam alibi non inveni, generis descriptionem sequutus est, et a Danao et Agenore, ab illo Troianos reges, ab hoc Helenam genus deducere, ipsos autem fratres fuisse tradit; quod iterum non congruit cum ceteris scriptoribus, qui aliter Danai genus describunt; sua tamen ex Dictye hausit Ioann. Malel. pag. 121.

De Dardano, cui aliud nomen Polyarchae fuisse Hellanicus (fragm. 71) dicit, plures facile narrationes discerni possunt; quarum post Homerum ea vulgatissima fuisse videtur, qua ex insula Samothrace in Asiam immigrasse cultumque Cereris mysteriaque

antea ignota ibi instituisse dicitur; hinc ea insula Dardania a poetis nominata erat, ut a Callimacho (Plin. H. N. IV, 23; Steph. Byz. s. v. *Δάρδανος*; *Σαμοθράκη*). Homerus insulam illam Samum simpliciter dicit (cf. Il. ν, 12; ω, 78. et quae ad illum locum Heynius affert); alia nomina sunt Electriae, Val. Fl. Arg. II, 431; Melamphyli, Anthemidis, Partheniae, Melitae, Srab. X. pag. 700; 723; Leuconiae vel Leucosiae Schol. ad Il. ω, 78. Apoll. Rh. I, 917: hinc affirmari poterit, cognomen insulae potius et quidem poetis tantum usurpatum, quam nomen, Dardaniam fuisse. Hanc de Dardano narrationem tradunt Apollod. III, 12, 1; Diod. IV, pag. 318; V, p. 369. Exc. e Strab. VII. p. 511. B; Tzetz. ad Lyc. 29. Alii ex Arcadia Dardanum venisse narrant, ut Dion. Hal. Ant. I, 61; cf. I, 50, qui eum ibi uxorem Chrysen Pallantis filiam duxisse et filios inde Idaeum et Dymanta genuisse, postea vero aquarum exundatione coactum sedes mutasse et primum in insula Samothraces tum in agro Troiano consedisse narrat. Serv. ad Aen. III, 167, qui Varronem auctorem sequitur. Italiam patriam eius fecere Romani imprimis scriptores: Virg. Aen. III, 167; VII, 207; VIII, 134; Serv. ad ll. ll., imprimis ad VII, 207, ubi Electram Corithi uxorem fuisse narrat, ex qua Iupiter genuerit Dardanum; Corithus Iasium; cf. Heynii Exc. VI ad Aen. III. In Asiam cum venisset Dardanus Bateam Teucri, qui ex Creta Troiam venisse dicitur (cf. Heyn. exc. V ad Aen. III), filiam uxorem duxit et Dardanum aut Dardaniam condidit. Teucri, quo nomine usi sunt mythographi et historici, ut cum rebus Creticis vel Atticis Troianas coniungerent (Strab. XIII, pag. 901 extc.), filiam antiquitus Batieam dictam idque genuinum nomen esse ex Il. β, vs. 813 coniicias; saepe enim nomina plenius sonantia

qualia amant poetae, contrahuntur ab auctoribus, qui prosa oratione utuntur; Batiam nomen eius ex Hellanico Schol. ad Il. υ, 236, quem locum omisit Sturzius, affert; cf. Steph. Byz. s. v. Δάρδανος; Schol. ad Il. β, 813. Serv. ad Aen. I, 38. Diod. l. l. — Arisben, quam propter patrem Teucrum Lycophron (v. 1308) Creticam puellam nominat, etsi alia quoque narratio fertur, Teucrum Scamandri et Idaeae Nymphae filium fuisse (cf. quae Serv. ad Aen. III, 108 ex Apollod. III, 12, 1 et Diod. IV, p. 318 narrat), Arisben igitur Dardani uxorem Steph. Byz. s. v. et Tzetz. ad Lyc. 29, 1308, nominant, Olizonam autem Phinei filiam Dict. Cret. IV, 22. Urbis verum nomen Dardanus est, et sic Strabo et Diodorus scripsere, Dardania tamen etiam dicitur more noto, ut adiectivum ponatur non addito substantivo πόλις. Thymbram quoque conditam ab eo dicunt. Steph. Byz. s. v. et Eust. ad Il. κ, 430. Scholion ad Il. υ, 236, quale nunc legitur, ad eum versum omnino pertinere non potest, sed ad versum 215 est referendum; altera autem pars de Eurydice recte ibi legitur, de Ilo enim sermo est, hinc corrige Heynii adnotationem ad Apollod. III, 12, §. 11.

Erichthonius Dardano successit, qui opulentissimus mortalium tunc temporis erat, Il. υ, 220, Strabonem itaque, qui (XII, p. 891 C.) ex loco Iliadis ε, 641 efficere vult, omnem Troianorum regum ditionem ante Priamum exiguam fuisse, refellere poteris. Praeter Erichthonium Ilum filium Dardani fuisse, qui moriens liberos non reliquerit, narrat Apollod. III, 12, 2; — alterum Zacynthium, unde Zacynthus insula nomen traxerit, affert Dionysius (Ant. R. I, 50), quae fabula cum rebus Arcadicis cohaeret. Non commutari autem cum Dardano Troiano debet Dardanus ille Scytha, de quo Apollod. III, 15, 3;

Schol. Apoll. Rh. II, 140, Diod. IV. 43 agunt. De Troiano tamen sermonem facere videtur Plinius H. N. XXX, 2, cuius magicos commentarios legerit Democritus, quem Eusebius (praep. ev. II, pag. 40 ed. Rob. St.) μύθους θεῶν καὶ μυστήρια docuisse narrat. De gente Dardanorum in Moesia, Plin H. N. III, 29, pag. 750, ed. Fr.; IV, 1, pag. 4; IV, 17, p. 74. 76; Strab. VII, pag. 481; Liv. XL, 57, quam coloniam a Dardano Troiano deductam dicit Diod. V, 48. pag. 369, quae accuratius docere possim, non habeo. — Erichthonius autem uxorem duxit Astyochen, (Apoll. l. l.) aut Calliroen (Dion. l. l.) et genuit

Troem, a quo nomen gentis Troum vel Troianorum et ipsa terra Troia dicta; Steph. Byz. s. v.; superest in alia quoque narratione, quae ad res Lyciorum pertinere videtur, memoria eius: cf. Schol. ad Il. δ, 88. E Calliroe Scamandri filia (Hellanicus ap. Schol. ad Il. υ. 231, non laudatus a Sturzio, et Apollod. l. l.) genuit filios:

Ilum, Assaracum, Ganymedem; praeter eos filiam Cleopatram Apollod. l. l. addit, quam Cleomestram Dictys IV, 22 dicit, quae cum Aesyete Antenorem genuerit. De Aesyete cf. Il. β, 793; et Eust. ad eum locum; Strabo XIII, p. 892, Ilus ipse campi occupatis Ilium condidisse dicitur: Strab. XIII, p. 886. B. Steph. Byz. s. v. Ἴλιον. Duplici modo rem narrat Tzetzes ad Lyc. 29; in altero fabulae ordine Leschem, sic enim legendum, auctorem sequi profitetur; alter hic est: Ilum victorem in agone a rege Phrygiae constituto quinquaginta puellas totidemque iuvenes praemium victoriae accepisse, bovem deinde e Mysia errantem sequi oraculo iussum, ubi ille recubuerit, Ilium urbem condidisse. Lesches eum pastorem fuisse et eiusdem oraculi monitu urbem condidisse simplicius tradiderat. Bebrycas quoque

vicisse regemque eorum Byzum interfecisse dicitur: Conon ap. Phot. pag. 222. ed. Hoesch.

Ex Assaraco, quem Iovem ex Acalide [1]) Eumedis filia genuisse tradit Dionys. l. l. Aeneas genus suum deducit: Il. *v*, 239, sq. In duas partes regnum paternum divisum esse, ut altera Ili, altera Assaraci fieret, quod Dardaniorum regnum dicebatur, ex Il. *β*, v. 820 apparet: cf. Diod. IV. pag 319 (c. 75); Strab. XII, p. 847 D; XIII. p. 891 D; Schol. Il. *γ*, 453. — Assaraci filium Capyn patrem Anchisae fuisse constans omnium narratio est praeter Hyginum, qui fab. 94 Anchisen Assaraci filium dicit. Sed in his scriptoribus frequenter observatur, ut nomen avi pro patris, patris pro avi nomine posuerint.

De Ganymede varia traduntur. Homerus Il. *v*, 235 eum a Diis raptum esse dicit, ut Iovi bibere administraret, qui pro filio Troi immortales equos dedit; cf. Il *ε*, 266; Hymn. Ven. 203 Haec fuit vulgatissima antiquitatis narratio, in eo tantum immutata, ut a Iove ipso, cum assiduis venationibus interesset, (Lact. Plac. XL) propter eximiam formam eum raptum esse amoreque eius percussum Iovem se in aquilam *immutasse* dicerent, qualia Lucianus et poetae Iudentes tradunt. cf. Apoll. Rh. III, 115 ibique Schol.; Virg. Aen. I, 28, ibiqne Serv.; interpp. Luciani Dial. Deor. 4, et Ciceronis ad Tusc. Disp. I, 26. Stephanus Byz. (s. v. *ἁρπαγία*) locum, unde raptus sit, Cyzicum dictum esse tradit. Dardani filium eum esse Pseudo-Lucian. Charid. §. 7 dicit; Laomedontis fratrem Tzetz. ad

---

[1]) Coniiciat aliquis, nomen verum latere in lectione codicis Vat. *Ἀκαλλαρίδος* et legi debere *Ἀκακαλλίδος*, quod nomen Creticae puellae Pausanias, Sholiastes Apollon. Rh. et Anton. Lib. noverunt.

Lyc. 34 temere scripsit, qui ad vv, 1232, 1306 veriora diligentius annotavit. Historica fabulae huius explicatio ab antiquis vario modo vel tentata vel tradita est: Ganymedem, cum ad oraculum missus fuisset, a Tantalo necatum esse Tzetzes ad Lyc. 355 narrat; Mnaseas ap. Schol. ad Il. *υ*, 35 eum in venatione ab illo necatum tradit. cf. Tzetz. Anteh. 141; Ioann. Mal. p. 98. Hinc rixae et bella Ilum inter et Tantalum exorta dicuntur, quorum finis fuerit, ut ille Tantalum e Paphlagonia eiecerit. Diod. IV, p. 318. Eust. ad Il. *υ*, l. l.; discordiarum Ilum inter et Pelopem meminerunt Paus. II, 22, 3; Dict. Cret I, 6. Alii Ganymedem a Minoe raptum esse narrant, Echemenes ap Athen. XIII, p. 601. F. Dosiades ap. Schol. ad Il. *υ*, l. l. Dict. Cret. II, 26, qui Cretae regis nomen pro Minoe exhibet. cf. Suid. s. v. *Μίνως*. Ganymedem raptum Cretam adductum gladio se necasse, et subitam eius mortem ansam dedisse fabulosae narrationi, eum a Diis raptum esse, id. s. v. *Ἴλιον* tradit. Huius narrationis originem illa Herodoti suspicio („*εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες*") indicare videtur. — Ganymeden Aquarium in coelo sidus esse narrant Hyg. poet. Astr. II, 29; Schol. Arat. 282; Serv. ad Aen. I, 32; 38. Catamitus latine dicebatur cf. Serv. l. l. et Plaut. Menaech. I, 2, 35. Ilo autem ex uxore Eurydice Adrasti filia, uti Apollod. l. l. §. 11; Schol. Il. *υ*, 236, ex Leucippe, uti Hyg. 250; narrat, natus est Laomedon. De hoc uti in aliis rebus scriptores fere consentiunt, ita in nominibus uxorum mira est varietas, quam ut expedias, complures fuisse statuendum est. Leucippen Priami matrem fuisse dicit Tzetz. ad Lyc. 18; cf. Pherecyd. fragm. 73; hinc omnino apud Apollodorum l. l. legendum *κατ' ἐνίους δὲ Λευκίππην*. Stamis Priami matrem Thoasam Teucri filiam, Alcman Zeuxippen, Hellanicus Strymonem nominaverat, uti Schol.

Il. γ, 250 ex Porphyrio tradit. E Strymone Scamandri filia Tithonum natum esse Schol. ad Il. λ, 5 dicit, cf. Tzetz. l. l., qui nomen aliter exhibet, Rhoeo; [2]) aut Trymo, cf. Hellan. fr. 137 ibique Sturz. Duplex hic exemplum est, permutari nomina, quae idem fere significant: ut Zeuxippe et Leucippe; Rhoeo, Rhymo, Trymo, Strymo, a fluvio patre desumpta nomina; sic supra eadem varietas erat Cleomestra et Cleopatra, infra erit Iphigenia et Iphianassa et alia. Placiam deinde Atrei filiam uxorem Laomedontis nominat Apollod. l. l. Capyos filium Laomedontem dicit Lact. Plac. (X, 6) aperto vitio.

Duplicem ob causam frequens huius regis memoria extat apud scriptores antiquos. Sub ipso enim Apollo et Neptunus muros urbis condidisse dicuntur; eam urbem Ilium ab Ilo conditum fuisse alii tradunt, cf. Schol. ad Il. $\varkappa$, 415; alii Troiam a Laomedonte conditam, Tzetz. ad Lyc. 1341. Antiquissima Homeri narratio, solum Neptunum moenia extruxisse, Apollinem antem greges custodisse tradit, Il. φ, 444; nisi versum, qui contrarium tradere videtur, potiorem habeas et lubentius sequaris Il. η, 453; causa tamen, cur haec servitii poena diis imposita sit, eo loco non memoratur; Scholiastes autem eam versu 400 Il. α, tradi dicit. Quae fuisse Zenodoti opinio videtur, qui illum versum mutare volebat pro Παλλὰς Ἀθήνη legendo Φοῖβος Ἀπόλλων, cf. Lucian. Iup. confut. §. 8. ibiq. Schol. Opere perfecto cum dii pactam mercedem postularent, rex superbus ferociter exitium minatus eos dimisit, neque mercedem dedit; qua re Neptunus iratus belluam in agrum Troianum immisit, cui no-

---

2) Errat Sturzius ad Pherecydis fragmm. pag. 209, cum hanc eandem esse dicit, e qua Apollo quoque Anium genuisset; haec alia est, cf. infra cap. 9.

biles virgines exponi consultus Apollo oraculo iussit; eaque sors, ut bestiae obiiceretur, contigerat Hesionam, regis ipsius filiam, cum Hercules advenit et eam liberavit. Rex autem ei, qui liberasset filiam, equos immortales, quos a Iove Tros pro rapto Ganymede acceperat, praemium se daturum esse promiserat, qua mercede cum Herculem quoque defraudare studeret, hic iratus cum Telamone Peleo et aliis quatuor heroibus urbem cepit, periurum regem interfecit, et Hesionam Telamoni dedit, a quo Teucer genitus est. Sic Homerus aliique rem narrant; cf. Hom. Il. Il. et ε, 640; Eurip. Tr. 5; Val. Flacc. Arg. II, 451. sqq; Hellanic. fr. 137; Apollod. II, 5, 9; Strab. XIII, p. 891 B. Diodor. IV, 32, p. 277 et 49. p. 292; Ovid. Met. XI, 195 sqq. Tzetz. ad Lyc. 34; Antehom. 21. Hyg. 89. Serv. ad Aen. I, 550; 619; III, 3; V, 30. Schol. Eurip. Androm. 781. Qui tamen auctores in omnibus et singulis rebus non consentiunt; alii enim agros Troianorum maris fluctibus devastatos belluaeque immissae continuo, ut Hesiona obiiceretur, oraculo iussum esse tradunt; ita Ovidius, Val. Fl; Apollod.; Hellanic.; Eurip. Troad. 795; — alii Herculem dum una cum Argonautis Colchos navigaret hanc rem gessisse dicunt, ut Val. Flacc; Diod. l. l. pag. 292, et Tzetzes ad Lyc; qui mirum modum pugnae narrat; Herculem quippe, cum in rictum apertum belluae insiluisset, per triduum ibi omni genere caedis desaevisse tandemque eam interfecisse tradit; alii Herculem e Peloponneso ob eam rem cum classe sociisque delectis navigasse Troiam memoriae reliquerunt; hic antiquissimus narrationis ordo est, qualem Homerus exhibet, quem deinde auctores Argonauticorum immutaverunt. Quamquam si locum Hellanici apud Schol. Pind. Nem. III, 64. quem omisit Sturzius recte intelligo, alia quoque ratione ab illo historico fabula narrata erat, ut

omnes qui cum Iasone ad aureum vellus tollendum navigassent, cum Hercule contra Troianos bellum gessisse dicerentur, eo facilius in Argonautico itinere Troiam captam esse alii tradere poterant. Scholiastes Eurip. Androm. 781, Pindarum ut videtur, secutus Laomedontem Herculi pro immortalibus equis *mortales* obtulisse dicit. Servius ad Aen. I, 550 cf. Dion. Hal. I, 52 seditionem parentum, qui filias obiicere noluissent, exortam esse narrat, fabulamque de condita in Sicilia Egesta cum hac re connectit. *Aliae* quoque narrationes huc referuntur, ut de hospitio Anchisen inter et Evandrum iuncto in itinere, quod ad visendam sororem abductam Priamus suscepisse dicitur Anchisa comite Serv. ad Aen. VIII, 157; de Pantho, qui ab Antenoris filio cum exciso ab Hercule Ilio Delphos a Priamo, ut Deum, num eversam urbem fas esset iisdem erigi fundamentis, consuleret *missus*, venisset, raptus et abductus esse traditur. Serv. ad Aen. II, 318. Sed ea aliter narrantur a Scholiasta ad Il. μ, 211, Troiam Panthum venisse, ut oraculum ab Apolline editum interpretaretur; cf. Eust. ad Il. μ, 228. (pag. 108, ed. Lips.)

Totius fabulae ordo immutatus legitur apud Serv. ad Aen. I, 619: Herculem Hylam quaerentem cum navigans Troiam venisset, a Laomedonte exitu esse prohibitum; tum Laomedonte occiso, Priamum a vicinis hostibus redemtum in regno locatum, Hesionam autem abductam esse. Quae de ea liberata dicerentur, fabulosa esse Servius dicit, hanc tamen de Hesiona liberata famam tangi non memini, nisi quae Plutarchus affert de Aethra ab Hectore rapta huc aliquo modo referri possunt.

Sepulchrum Laomedontis super porta Scaea fuit; Serv. ad Aen. II, 241. Ili sepulcrum in campo. Il. λ,

371, 165: et Aesyetae sepulchrum Il. β, 793 memoratur. — Filii autem Laomedontis sunt:

Tithonus, quem Ili filium esse dicit Dictys IV, 22; ab Aurora vel Hemera raptus est, unde nati sunt Memnon et Emathion, Hesiod. Theog. 984; Hymn. Ven. 219; Hellanic. fr. 142; Ovid. Met. XII, 576. Apollod. III, 12, 4; Lyc. 18 et alii. Emathionis filius Romus fertur, Plut. Rom. 2. Dion. Hal. Ant. I, 72. p. 183.

Priamus, antea Podarces dictus. Hunc occiso Laomedonte Hercules regem constituit, quia solus patri adversatus fuerat, ne occiderentur Telamon et Iphiclus, quos in vincula rex coniecerat, sed ut redderetur Herculi promissum praemium contenderat, Diodor. IV. pag. 292; Serv. Aen. III, 3. Priami autem nomen accepit, quod eum soror Hesione aurea calantica pretio dato e captivitate, in quam abductus erat, redemit. Tzetz. ad Lyc. 337; Apollod. II, 6, 4; Eust. ad Il. α, 18; Serv. ad Aen. I, 619; IV, 228.

Lampus. Dict. Cret. IV, 22; V, 6; nomen eius legitur apud Homerum Il, γ, 147; o, 526. Lamponem eum nominat Apollod. III, 12, 3, 11, usitatissima mutatione; eius filius Dolops a Menelao necatus dicitur. Il. σ, 540.

Clytius. Hom. Il. γ, l. l. Dict. IV, 22; Apollod. l. l. filium eius Caletorem ignem navibus inferentem Aiax occidit, Il. o, 419 ibique Eust. et Schol.; filiam autem Pronomen Panthus uxorem habuisse ex eaque Polydamanta genuisse dicitur (Eust. ad Il. μ, 228. (p. 108.) Schol. Il. μ, 211), qui eadem nocte qua Hector natus esse fertur.

Hicetaon, Hom.; Apollod.; Dict. ll. ll. Huius filius Antenor dicitur, Il. β, 206; et Melanippus, Il. o, 547 ibique Eust., qui antequam hostes patriam in-

vaserant, boves paverat Percopae, tum autem Troiam reversus pugnans ab Antilocho interficitur, Il. *o*, 576.

Thymoetes; Hom. Apollod. Dict. De eo ex Euphorione narrat Serv. ad Aen. II, 32, filium uxoremque eius a Priamo occisos esse, quoniam Helenus vaticinatus esset, die certa puerum natum iri, per quem Troia posset everti, pepererant autem una die Hecuba et Thymoetae uxor, cf. Tzetz. ad Lyc. 224, 314, qui Cillam, Hecubae sororem, Thymoetae uxorem nominat; ea clam filium Munitum genuisse dicitur, quem una cum matre, ut ab Aesaco praedictum infortunium vitaret, Priamus occiderit. Singularia omnino affert Diodorus III, 66. p. 237, Thymoetam (v. L. Thymetum) filium huius Thymoetae Orphei aetate vixisse multasque terras peragrando eum ad Libyae fines occidentem versus et ad oceanum accessisse; ad Nysam quoque, ubi Bacchus nutritus esset, venisse, et cum ibi ab incolis eius regionis de singulis dei rebus gestis edoctus esset, poesin, quae Phrygia nominaretur, condidisse. De his quae doceret non habebat Wesselingius, neque ego eius rei alibi mentionem fieri memini; ut autem Dardanus Samothracum mysteria et religiones, ita hic Thymoetas Bacchi cultum propagasse fertur. Eiusmodi narrationes seriorem originem satis produnt, non enim latuissent absconditae, usque dum Alexandrinorum grammaticorum occulta et minuta rimantium studia eas in lucem proferrent.

Bucolion, quem Apollodorus l. l. e Calybe nympha natum esse dicit; non addit matris nomen Dict. Cret. l. l. Duos eius filios, quos ipsi nympha Abarbarea genuerat, Aesepum et Pedasum nominat Homerus Il, ζ, 21 sqq.

Filiarum nomina sunt Hesiona, quae alio nomine Theanira dicebatur, Tzetz. ad Lyc. 469, Cilla,

Astyoche. cf. Apollod.; addit praeterea Tzetz. ad Lyc. 91 Aethyllam et Medesicasten, quarum nomina ad versum 1075 ex Apollodoro affere dicit, apud quem tamen non leguntur. Rem, quam Tzetzes narrat, infra exponemus. Aethyllam nominat Conon ap. Phot. narr. 13. pag. 221. Clytodoram praeterea Dionysius l. l. quae Assaraci filia fuerit.

Priamus itaque post Laomedontem regnavit, clarus non tam rebus gestis, quarum exigua nunc quidem superest memoria, ut de bello contra Amazones (Il. γ, 189), quanquam antiquis carminibus laudes eius celebratas fuisse statuere possumus, cf. Il. ζ, 446, quam notus fama calamitatum, quos senex pertulit innocens. A Strabone eum pro conditore regni Troiani quodam modo haberi supra commemoravi.

Uxorem primam duxisse dicitur Arisben Meropis Percosii filiam, unde natus Aesacus, qui coniuge Asteropa, Cebreni filia, quam duxerat, immature mortua tali moerore percussus est, ut in avem mutaretur, Apollod. III, 12, 5. Tzetz. ad Lyc. 224. Aliam de eo narrationem Ovidius Met. XI, 749 sequitur, natum eum fuisse ex Alexirrhoe (sic lege quoque apud Lactant. Plac.) Granici filia; cumque nympha, quam amore eius deperiens persequebatur, ipsum fugeret, et fugiens morsu serpentis icta interiisset, Aesacus in mare se praecipitem dedit, cf. Serv. ad Aen. IV, 254; Lact Plac. XI, 11. Clarum eum arte vaticinandi fuisse tradunt Apollod. Tzetz. ll. ll.; Schol. Il. ω, 497. Arisben Paridi quoque uxorem tribuunt, de qua infra sermo erit. — Alexirrhoen Artandri filiam praeter Arisben et Laothoen Altae filiam uxores Priami nominat Schol. Il. l. l. cf. ad Il. φ, 85. Harum quaecunque tandem prior uxor fuit eam dimisit Priamus, sive Hyrtaco, ut ait Tzetzes, concessit, et Hecubam duxit.

De Hecubae genere, ut eam affinem Helenae esse comprobaret, mira tradit Dictys I, 9. „Agenoris filium Phineum et Dymae patris Hecubae et Ledae consanguinitatis originem dimisisse.“ Pro Phineo in aliis edd. legitur Phoenicem, sed cf. III, 5, ubi eadem leguntur. Agenoris filium eum nominant Apollodorus I, 9, 21 §. 2, qui alios eum Neptuno genitum tradere dicit, Apoll. Rh. II, 178. Schol. Eur. Phoen. 5; Serv. ad Aen III. 209; Hyg. 19. Filius autem Phinei Paphlagos dicitur Steph. Byz. s. v. Πάφλαγος; Hellanicus Phineum in Paphlagonia regnasse tradit, cf. Schol. Apoll. l. l. fragm. Hell. 83; hic itaque in iis fuisse videtur, e quibus Dictys genealogiam, quam affert, concinavit, nam Pylaemenem Paphlagonum regem quoque a Phineo genus deduxisse narrat III, 5. Phoenicis filium Phineum fuisse Hesiodus, Asclepiades Antimachus et Pherecydes tradiderunt. Schol. Apollon. Rh. II, 178; Phoenix autem Agenoris habebatur. Dymas Hecubae pater dicitur: Hom. Il, π, 718; ibique Scholiastes ex Pherecyde matris nomen Pronoen, quae nympha fuerit, affert; Dymas autem Eionei filius dicitur; cf. Sturz ad fragm. Pher. 836. Fratres Hecubae erant Asius Il. π, 718; et Otreus, Schol. ad Il. γ, 189. — Anthenion Hecubam Cissei et Teleclae filiam dixerat, Schol. ad Il. π, l. l. eaque tragicorum poetarum constans fere fama fuit. Eurip. Hec. 3, quem Ennius, Pacuvius, Virgilius sequuti sunt cf. Serv. ad Aen. VII, 320; alii Sangarii fluminis et Metopes filiam eam dixere, Apollod. l. l. Ex ea itaque Priamus filios filiasque genuit, quorum magnum fuisse numerum apparet ex Il. ζ, 245; ω, 495; cf. Eur. Troad. 135; Virg. Aen. II, 501 ibique Serv. Cic. Quaest. T. I, 35, § 85. Filiorum autem primus erat

Hector, quem alii Apollinis filium dixerant; sic narrasse Ibycum, Alexandrum, Euphorionem, Lycophronem tradit Porphyrius ap. Schol. ad Il. γ, 314; sic Stesichorum Schol. Il. ω, 259; Tzetz. ad Lyc. 266. Reliquos Priami liberos eo ordine quo Apollodorus III, 12, 5 eorum nomina recenset, perlustrabimus.

Paris, sive Alexandrus. Cur Paris nominatus sit, vario modo explicant Tzetz. ad Lyc. 138; Schol. ad Il. γ, 325. μ, 93; Eurip. ad Androm. 294. (ἀπὸ τοῦ παρελθεῖν τὸν μόρον, vel ὁ ἐν τῇ πήρᾳ τραφείς.) Hunc cum mater Hecuba utero gestaret, per quietem sibi visa est facem ardentem parere, qua urbs universa et silva montis Idae incensa combureret. Consulti de eo insomnio vates ingens malum urbi portendi responderunt, et ut infans, qui partu editus foret, in sylva expositus bestiis obiiceretur suaserunt. Priamus itaque infantem recens natum pastori tradidit, quem alii Archialan, Schol. Il. γ, 324, alii Archelaum, Tzetz. ad Lyc. 138, alii Agelaum, Apollod. l. l., vocant; verum nomen habendum est Agelaus, desumptum a vita hominis et Homero quoque usitatum Il. ϑ, 257; λ, 302. Ab hoc puer in monte expositus per quinque dies ab ursa nutritus est. Commotus rei miraculo pastor sublatum puerum educavit, et Paridis ipsi nomen dedit; postea tamen, quia, cum adolevisset, fortitudine et robore inter aequales eminens et greges fortiter custodiebat et ab impetu latronum strenue defendebat, Alexandrus dictus est. Ibi ad eum Deae accesserunt Iuno, Venus, Minerva, ut litem, quae inter ipsas de forma exorta erat, iudicaret: locum, quo id iudicium habitum esset, memorat Eustath. ad Il. ξ, 292. In eo iudicio tum forma ipsius deae commotus tum praemio formosissimae uxoris promisso corruptus Venerem formosissimam declaravit. Neque multo post factum est, ut regis

Priami filius agnitus, et solenni pompa in patriam urbem sit deductus. Rem eam ita narrat Ovidius Heroid. XVI, 45 sqq. Aliter Hyginus fab. 91: ludos funebres ob amissum filium-Parin institutos fuisse a Priamo, in quibus qui vicisset, ei taurum eximium praemium propositum fuisse. Missi igitur satellites e grege Alexandri taurum, quem ipse propter formam in deliciis habebat, abducebant; quos, cum causam eius rei ex iis quaesivisset, Paris secutus in ludis omnes fratres devicit. Ibi cum iratus Deiphobus gladium in eum stringeret, in aram Iovis aufugit, et vate Cassandra sorore monente a Priamo agnitus est. Hoc argumentum tragoediae esse videtur, quam Sophocles scripserat, cf. fragm. Soph. ed. Bothe pag. 14; vide de tota fabula Eurip. Androm. 295; Helen. 24; Troad. 915 sqq. Virg. Aen. VII, 319; X, 705; Ecl. II, 60, et Serv. ad eos locos; Cic. de Div. I, 21; Lucian. *Dial.* D. 20; Isocr. Hel. encom. 20; Coluth. 103 sqq; Strab. XIII, 903. extr. Schol. Eur. Hec. 637; Tzetz. ad Lyc. 86; 138; 913. Alia tradunt seriores fabularum enarratores. Priamus oraculo monitus oppidum condidit, in quod seclusus Paris cuncta, quae regium puerum decebant, edocebatur. Studio autem ductus imprimis rhetoricas declamationes composuit, in quibus prae ceteris diis Venerem celebrabat. Cum triginta annos hac ratione vitam egisset, quod fatale tempus esse, quo Troia excinderetur, vates edixerant, ad suos solenniter deductus est die vicesima secunda Aprilis, ut Tzetzes narrat Antehom. 58, cf. Suid. s. v. *Πάριον*. Ioann. Malel. pag. 115.

Num Homerus fabulam illam de iudicio Paridis noverit, dubitatum est inter veteres; Schol. ad Il. *ω*, 23; *δ*, 52. Macrob. Sat. V, 16. cf. Hemsterh. ad Luc. Dial. D. 20 pag. 252; noverant eam certe Cypria carmina, quod apparet e Proclo. Redit haec quaestio

eo, ut indicetur, num locus Homeri (Il. ω, l. l.) genuinus haberi possit, quod non nimis difficile erit iudicare, si, quid de tota illa rhapsodia statuendum sit, cognitum habeas; cf. Wolf. prolegg. pag. 135; de illo enim loco tam erudite et accurate disputaverunt veteres, ut sine ulla dubitatione iis accedam, cum aliae quoque rationes non desint, quibus ipsorum sententiam confirmes. Est enim locus ille tam artificiose concinnatus et exquisita brevitate obscurus, ut, nisi rem, de qua sermo ibi esse dicitur, probe noveris, in explicatione haereas, quod profecto a ratione sermonis Homerici multum abhorret; praeterea mollities ista effaeminata, quae eo loco Paridi exprobratur, quomodo consentit cum alio loco Iliadis — ζ, 521 — ubi Hector etsi acerbe invectus in desidiam fratris tamen bellicam eius fortitudinem agnoscit; ea autem Paridis desidia in amore potius uxoris nimio quam in mollitie et ignavia originem habere videtur, propter quam itaque damnari ille tam cito non possit, nam et post certamen cum Menelao factum requiescit Paris et ipsum Hectorem mater poculo ad quietem invitat. Alia praeterea, quae huc faciunt, infra disputabimus.

In reliquo fabulae ordine omnes illi laudati scriptores non consentiunt; Ovidius statim desiderio Helenae permotum Paridem in Graeciam navigasse dicit sequutus Euripidem Hel. 29; alii ante Helenam aliam ei nuptam fuisse tradunt, quam Oenonen nominant, cf. Apollod. III, 12, 6; Lucian. D. D. 20; Conon. narrat. 23; Hellan. fr. 68. Serv. ad Aen. III, 170; Tzetz. ad Lyc. 57; e qua filius Corythus natus sit. Arisben eam mulierem nominant Serv. ad Aen. IX, 264; Eust. ad Il. μ, 96; nisi frequenti errore patris nomen cum filii nomine confusum esse dicas.

Creusa filia, uxor Aeneae, qui ex ea **Ascanium** genuit. Paus. X, 25, 1; Tzetz. ad Lyc. 1322; **Serv.** ad Aen. IX. 284; Prob. ad Georg. III, 46. **Lesches** autem et Cypria carmina Eurydicen Aeneae **uxorem** nominaverant, Paus. X, 26, 2. Plutarchus **Rom.** 2 ab aliis Romam Telephi, ab aliis Dexitheam **Phorbantis** filiam uxorem ei tribui narrat; Servius (ad **Aen.** I, 273) a Clinia Telemachi filiam, Romen, Aeneae **uxorem** dictam esse tradit; cf. Heynii exc. 17 ad **Aen** II, pag. 321; idem vir doctus (exc. 14 p. 315.) ex hac ipsa Creusa Apollinem Anium genuisse a Conone narr. 41 traditum esse dicit (cf. infr. c. IX). Negari quidem non potest, fabulas de Anio cum fabulis de Aeneae erroribus et de adventu Anchisae in Graeciam coniunctas fuisse; sed Photium aut Cononem (l. l.) duas de Andro et Antandro fabulas confudisse apertum est. Antandrus illa oppidum Troiae *maritimum* erat, quod Graecis pro Polydoro, quem ceperant, a Troianis datum esse Servius tradit, Conon autem Ascanium id suae redemptionis pretium dedisse Graecis narrat. Cohaeret haec fabula cum illa, quam Dionysius (Ant. I, 48. p. 122) affert, Aeneam eo tempore, quo Troia a Graecis capta esset, in oppido maritimo et portu Troianorum (*ἐπὶ τοῦ ναυσταθμου τοῦ Τρωϊκοῦ*) degisse. Conon itaque narraverat, hoc ipsum oppidum Ascanium Graecis dedisse, qui id oppugnassent, secessisse deinde in Idam, et ibi regnum tenuisse. Tum aliam narrationem afferebat, ex Andro colonos Antandrum missos fuisse, et Pelasgos quidem, et ita ad Andrum ipsam transibat, quam insulam tenuisset Andrus (Eustath. ad Dion. Per. v. 25) aut Andreus aliquis (Steph. Byz. s. v. *Ἄνδρος.*), qui aut frater aut filius Anii fuisset. Ex hoc itaque scriptore effici nequit, hanc Creusam Anii matrem fuisse.

Laodice, cf. Il. γ, 122; ζ, 252; quae pulcherrima filiarum Antenoris filio Helicaoni nupta dicitur; falso eam Hyginus f. 101 Telephi uxorem fuisse dicit. Varia de ea narrata fuerunt; amorem eius in Acamantem Thesei filium, qui Troiam legatus a Graecis missus venerat, Euphorion descripserat, quem ea sine ulla veri specie effinxisse, arguit Pausan. X, 26, 9; Tzetz. ad Lyc. 495 totam narrationem exhibet. Capta itaque Acamantis amore Laodice filium ex eo suscepisse dicitur Munitum, quem clam parentibus partu editum Aethrae nutriendum dedit; post Troiae autem excidium ipsam filiumque Acamas secum abduxit. Demophoontem eum, non Acamantem fuisse, et filii nomen Munichum refert Plutarchus Thes. 34. Alii eam capto Ilio terra haustam esse dicunt, postquam a diis, ne in servitutem abduceretur, exoravisset: Quint. Sm. XIII. sub fin.; Tryphiod. 649; Tzetz. Posth. 736; Lyc. 316 ibique Tzetz.; alii eam fugientem in montis vallem prolapsam sicque mortuam tradunt; Tzetz. ad Lyc. 314; Lycophron ipse 495. — Munitum in Thraeia serpentis morsu necatum esse, Tzetzes dicit ad Lyc. v. 495; 498. Hinc Pausanias X, 26, 7, num in captivis Troianis mulieribus fuerit, dubitat, in quarum numero eam Polygnotus pinxerat.

Polyxena, sic legendum apud Hyg. f. 90 pro vitioso nomine quod restat: Polymena; reliqua de ipsa suo loco narrabimus.

Cassandra, Alexandra dicta ab Amyclaeis et Lacedaemoniis, Paus. III, 19, 6; 25, 5; cum ea uno partu editus esse dicitur

Helenus; de utroque hic itaque simul agemus. Illius formam laudat Homerus Il. ν, 365, quam uxorem sine dote sibi postulabat Othryoneus, cf, Il. ω, 699; ut postea Coroebus; fatidicam tamen fuisse neque novit Homerus neque dicit, cf. Schol. Il. ad l. l.

Vatem autem praeclarum et auguriis praestantem Helenum dicit Homerus Il. ζ, 76, hinc sapientem eum Pausanias V, 22, 3 appellat; fortiter etiam pugnat, cf. Il. ν, 576 sqq. Scamandrii quoque ei nomen fuisse Eust. ad Il. η, 44 tradit. Alii tamen scriptores utrumque vaticinandi arte insignem fuisse tradunt, cuius rei causam hanc narrant: infantes Cassandra et Helenus ludo defessi die quadam festa in templo Apollinis Thymbraei obdormiverant, cumque postridie quaererentur, visi sunt in templo aures lambi a serpentibus, qui quidem spectantium subito clamore territi aufugerunt, sed exinde infantes artem vaticinandi habuerunt; sic narrat Anticlides apud Schol. ad Il. η, l. l. cf. Schol. Eur. Hecub. 83. Paulo aliter Tzetzes (arg. in Lyc. pag. 267 ed. Müll.) rem refert, eos solitos esse in templo relinqui, quia ex indiciis quibusdam parentes cognovissent, quales deinde forent, et Apollinem oraculo id edixisse. Cassandrae amore postea percussus Apollo, cum illa copiam sui non faceret, fidem ipsi, quamvis vera diceret, ademit, Hyg. 98; et insanire eam dixit, Tzetz. l. l. et ad vers. 353, 1437; cf. Serv. ad Aen. II, 247, qui Apollinem, cum osculum saltem ut sibi daret Cassandra, exoravisset, in os virginis inspuisse ut fidem ipsi adimeret tradit. Res quoque ita narratur, Cassandram nuptias Apollini pollicitam esse, ut promissae artis compos fieret, postea tamen cum fidem non impleret, iratum Apollinem, ut nemo vaticinanti crederet, effecisse. Tzetz. arg. p. 272. Antiquam famam esse de vaticinandi arte virginis Procli argumentum Cyprii carminis ostendit, in quo Cassandra post discessum Paridis quid eventurum esset praedixisse dicitur. A Priamo eam ut furibundam inclusam esse sunt qui narrent, veluti Lycophron. Helenus contra mire gratus Apol-

lini fuisse dicitur, a quo eburneum arcum dono accepit, per quem olim Achillem vulneraret, cf. Ptol. Heph. ap. Phot. pag. 251.

Deiphobus, cuius virtus et fortitudo saepe memoratur ab Homero, cf. Il. μ, 94. sqq. Aiaci eum fere aequiparabant, Paus. V, 22, 3; Ibycus et Simonides eum acerrimum hostem Idomenei fuisse tradiderant: Eust. ad Il. ν, 517; cuius narrationis causam facile in loco illo Homeri deprehendere licet.

Pammon, qui memoratur Il. ω, 250 et a Tzetza Homeric. 47 — sagittarios duxisse dicitur, Tzetz. Posth. 490 — Dictys Cret. II, 42, eum ante mortem Hectoris occisum esse tradit discedens ab Homero et reliquis poetis, qui eum in expugnatione Ilii a Neoptolemo occisum dicunt, Quint. Sm. XIII, 214. Nomen eius corruptum est apud Hyginum, ubi pro Palaemon legendum est Pammon.

Polites, Hom. Il. ω, 250; β, 791, ubi exercitum Graecorum si e castris in pugnam procederent, speculatus esse dicitur; hunc quoque Dictys dissentiens ab Homero et reliquis ante Hectorem in pugna cecidisse narrat. Utrum ipse an Mestor natu maximus filiorum Priami fuerit, dubitat Schol. ad Il. ω, 257. cf. ad 497. Occisum eum a Neoptolemo Quintus Sm. XIII, 214 narrat; cf. Tzetz. Hom. 447; Posth. 49. Priamus filius eius dicitur, Virg. Aen. V, 564; ad quem locum Servius ex originibus Catonis tradit, Politorum in Italia urbem ab eo conditam esse et venisse eum in Italiam cum Aenea, a quo tamen postea discessisset, cf. ad Aen. I, 2.

Antiphus, Homerus Il. ω, 250 Antiphonum nominat, et Antiphum Il. δ, 489 et λ, 101; non memoratur ab Hygino, qui Antinoum exhibet, quem nemo alius novit, pro quo legendum Antiphus. Occisus dicitur ab Agamemnone Il. λ. l. l.; bis idem no-

men occisi Priamidae legitur apud Dict. Cret. II, 43 et IV, 7; hoc quidem postremo loco eum nothum filium dicit, pro quo legendum ex Homero Antiphonus. Tzetzes eodem errore lapsus Antiphum nothum Priami filium dicit, Homeric. 40; Quintus Sm. XIII, 214 Tisiphonum nominat, qui idem videtur. Pro Aegeoneus, quod nomen suspectissimum legitur apud Apollodorum, scribendum censeo Antiphonus, et pro absurda lectione Hygini Brissonius.

Hipponous, non legitur hoc nomen apud Homerum, sed Hippothous, Il. ω, 251, cf. Dict. Cret. III, 7; Tzetz. Hom. 447; Posthom. 49. Hipposidus corruptum nomen est apud Hyginum et ubique Homericum restituendum est.

Polydorus, de quo Homerus Il. υ, 407 dicit, eum natu minimum Priami filiorum fuisse, insignem tamen celeritate pedum, quem dum per primam aciem circumvagatur, Achilles iaculo occidit. Hunc et Lycaonem Priamo ex Altae filia Laothoe natos esse Homerico loco Il. φ, 85 Strabo XIII, pag. 876 B confirmat. Diversa et alia de eo ceteri auctores tradiderunt, quorum ea vulgatissima fuit narratio, puerum, ut bello superstes esset, educandum missum esse ad Polymestorem Thraciae regem. Duplex hinc exorta fabula, alii enim eum ibi a Graecis captum esse dicunt, qui eam regionem ducente Aiace depopulabantur: Dict. Cret. II, 18, 20; Serv. ad Aen III, 6. Pro quo cum legati Graecorum ut Helena redderetur postulassent neque id impetrare potuissent, eum ante ora Troianorum lapidibus obruerunt; sic Dictys narrat. Servius autem Graecos oppidum pro redimendo puero postulasse dicit, cui ob eam rem Antandri nomen datum esset, quod licet accepissent, tamen puerum crudeliter ab iis necatum esse. Alia est tragicorum poetarum narratio, puerum a Polymestore ne-

catum esse, ut aurum, cuius magnum pondus una cum filio ei Priamus commiserat, raperet. Eurip. Hecub. 681 sqq. Virg. Aen. III, 49; Serv. ad Aen. III, 15; Ovid. Met. XIII, 430 sqq.; qui cadaver occisi pueri in mare deiectum esse dicit, Euripidem secutus, cum Virgilius et Servius a rege id sepultum esse dicunt: cf. Plin. H. N. IV, 18. p. 94, qui tumulum Polydori memorat; Hyg. fab. 109 argumentum tragoediae narrat, in qua longe alius fabulae ordo fuerat. Polymestorem imprudentem suum ipsius filium necasse Diphilum pro Polydoro, pellectum ad id facinus ab Achivis promissa Electra Agamemnonis filia uxore et auri magno pondere. Polydorum deinde a sorore Iliona rem edoctum regem occoecatum interfecisse. Uxorem enim eius Ilionen Servius, Hyginus et alii dicunt, quam Apollodorus omisit, Hyginus autem inter ceteras enumerat; cf. Virg. 1, 654. Ilionen ipsam Polymestorem interfecisse idem Hyginus narrat fab. 240, auctores in hisce rebus ut videtur poetas tragicos Romanos secutus. Illud in his mirari licet, omnes illos scriptores ab Homero dissentire et Hecubam matrem Polydori dicere.

Troilus. Alii eum non Priami sed Apollinis filium dixerunt: Apollod. III, 12, 5; Tzetz. ad Lyc. 307; luget mortem eius ut fortis militis Priamus, Hom. Il. ω, 257; Tzetzes quoque ad Lyc. 168 eum secundum Hectorem fortissimum Priami filiorum fuisse narrat. Occisum Troilum ab Achille Cypriis carminibus narratum fuerat; cf. Procl. et Virg. Aen. I, 474; quod Tzetzes ad Lyc. 307 (cf. Homeric. 449; Posth. 358) post mortem Memnonis factum esse dicit. Diversae narrationis Sophocles auctor affertur, Schol. ad Il. ω, 257: eum dum equorum regendorum studio vacaret, Achillis amantis complexibus periisse; Sophoclis fabula Ἀχιλλέως ἐρασταί tangi videtur,

Doryclus, ab Aiace occisus Il. λ, 489. cf Dict. III, 7, vitiosum est apud Hyg. Doricops.

Lycaon. Il. γ, 333; υ, 81; φ, 35; quo postremo loco narratur, quomodo aliqando captus ab Achille et venditus fuerit nunc redux occisus sit. Dictys IV, 9 eum cum Troilo vivum captum et iugulatum narrat; Tzetzes Posth. 48 eum post Hectorem superstitem fuisse tradit.

Dryops, occisum ab Idomeneo dicit Dict. IV, 7. Drypon Hygini editiones vitiosum exhibent.

Bias, Dict. l. l., apud Hyg. Biantes corruptum legitur.

Chromius, Il. ε, 160, occisus a Diomede dicitur, possis suspicari, latere eum apud Dictyn in Corythonis nomine, apud Hyginum in Chroeresi.

Astygonus. Id apud alios nomen non legitur; Astynoum a Lesche memoratum pinxerat Polygnotus: Paus X, 26, 4. Astyochus corruptum legitur ap. Dict. III, 7; Astynomus apud Hyg.; Astynous itaque a Leche usurpatum et Homericum nomen (Il. ε, 144; o, 455) genuinum videtur.

Telestes, depravata apud Dict. IV, 7 lectio est Thyestes et Thelestes.

Euandrus, sive Euander; Dict. III, 14, et Hyg. quoque eum memorant.

Cebriones, Hectoris auriga occisus a Patroclo; Il. ϑ, 318; ν, 790; π, 738. cf. Hyg. et Steph. Byz. s. v. κεβρηΐα; omisit eum Dictys.

Melius, occisum ab Aiace Dict. III, 7 tradit, cuius aliae editiones Mulium exhibent, quod magis placet; nam Homericum nomen est; Il. π, 696; υ, 473. est Dolon eliquis apud Hyg., lege Mulius. Melii nescio cuius nomen tamen exstat ap. Quint. Sm. XI, 85.

Archemachus, occisum ab Agamemnone narrat Dict. III, 7. Aromachus apud Hyginum legitur, illud nomen idem est, quod Homericum Archeptolemus et libentius id legerem apud Hyg.

Laodocus, Dict. III, 7.

Echephron, ignotus praeterea.

Idomenus, omittitur a Dictye et Hygino. Idaeum quendam Priami filium Hephaest. ap. Phot. p. 249 memorat, est Ilioneus apud Dictyn IV, 7, et Isus III, 14; hunc ab Agamemnone occisum Homerus dicit Il. λ, 101, illum a Neoptolemo Quint. Sm. XIII. 181, cuius nomen apud Apollodorum restituendum videtur.

Hyperion; alibi id nomen non memoratur; apud Hyginum est Hyperiscus; coniicere liceat: Hypiron, quod est apud Hom. Il. ε, 144, aut Hyperenor; Il. ξ, 516.

Ascanius, praeter Hyginum non nominat alius nisi corruptum nomen est in Arsacus apud Dict. III, 7.

Democoon, quem occidit Ulysses Il. δ, 499.

Arrhetus, corruptum nomen; Aretus emendandum ex Homero Il. ρ, 494 et apud Apollodorum et apud Dictyn IV, 7, ubi Areius legitur et apud Hyginum, ubi est Atreus.

Deioptes, corrige Deiopites, quod Homericum nomen est Il. λ, 420 et id legitur apud Dict. III, 7 et Hyginum.

Clonius, ignotus ceterum; saepe apud Homerum legitur id nomen.

Echemon, Echemmon scribitur apud Hom. Il ε, 160, occisus a Diomede; ab Ulisse necatum eum Dictys dicit IV, 7.

Hyperochus; id nomen idem fere quod Hyperionis illud significat; non memoratur alibi; Homericum nomen est, Il. λ, 435.

Aegeonus, non legitur alibi, cf. quae de Antipho diximus.

Lysithous, ignotus praeterea.

Polymedon; sic quoque lege pro eo, quod nunc est ap. Hyginum, Polymetus.

Filias deinde quatuor nominat Apollodorus:

Medusan, quam Pausanias quoque X, 26, 1 et Hyginus memorant;

Medesicaste, uxor Imbrii Mentoris filii, Hom. Il. ν, 173, cf. Paus. X, 25, 9.

Lysimache, Lysianassa Hygino dicitur.

Aristodeme, Aristomachen Stesichorus nominaverat, cf. Paus. X, 26, 1; num id nomen apud Hyginum in Hero, quod idem fere significat, est mutatum?

Restat ut de iis Priami liberis agatur, quos Apollodorus non enumerat; quorum primus nominari debet Dius, quem Homerus Il. ω, 251 memorat. Dubitabant veteres Homeri interpretes, utrum in eo loco Agavus an Dius nomen proprium esset, et Pherecydes Dii nomen probavit (cf. Schol. Il. l. l. et Pher. fr. 57, b.), cuius sententiam Wolfius secutus est. Alii Agavi nomen retinuerunt, in quibus est Dictys IV, 7 id autem mirum vibetur, quod Apollodorus et Hyginus eum omittunt.

Chaon a Servio ad Aen. III, 334 frater Heleni dicitur; apud alios scriptores non commemoratur.

Asteropaeum Dictys IV, 7 filium Priami dicit, quod nomen procul dubio depravatum est. Emendandum Cebriones, cuius tam frequens in Homericis carminibus mentio fit, ut eum a Dictye omissum esse putare nequeas.

Plures addit Hyginus in catalogo Priamidarum, cuius verba mirum in modum depravata esse omnes querebantur editores et ego post multam adhibitam

operam sanari posse fere desperabam. Statim quidem, simulac locum inspexeris, ea subnascitur suspicio, nomina filiorum, quorum multos et eos adeo, qui non semel aut ab uno auctore nominantur, omittit, depravata esse et in filiarum nomina immutata, quas multo plures, quam alii omnes scriptores noverunt, enumerat; quae suspicio firmatur, si Grauerti acumen verum vidit, qui ea, quae nunc sub Hygini nomine feruntur, epitomatoris cuiusdam excerpta esse iudicare videtur, (Mus. Rhen. 1828, I, p. 51.). Itaque pro Lyside Lycaon, pro Demosthea Democoon legendum censeo; filiarum autem nomina e Pausania corrigi possunt, ut legatur pro Laodice, Ethionome Phegea Henicea Demnosia Cassandra Philomela ita: Laodice, Deionome, quod nomen quoque in Iliade parva legebatur, Peisis, Xenodice Clymena Cassandra, Philenor, et pro Chrysolaus Demosthea legatur Clonius Isus Democoon, pro Proneus, quod ineptum nomen est, Glaucus. Sic quoque numerus quinquaginta quatuor liberorum, qui in prima paragrapho praefixus est, efficitur. Nam etsi Pausanias omnes mulieres, quas enumerat, Priami filias fuisse aperte non dicit, Hyginus tamen eas in illo numero habuisse videtur. Est quidem propter temeritatem quandam non satis probabilis ratio, qua utens Hygini locum restituere conabar, sed vetus illa regula, quod ferrum non sanat, igne sanari, animo obversabatur, neque, nisi quis codicibus usus fuerit, aliter res expediri poterit, si quidem tunc poterit.

CAPUT III.

DE GENERE HELENAE.

Helenae genus duplicitur ad Iovem auctorem refertur, aut enim ipsa aut certe maiores eius genus inde trahere dicuntur; quorum stemma sic plerumque describitur:

Atlantis Taygeta cum Iove
|
Lacedaemon
|
Amyclas
|
Argalus
|
Cynortes
|
Oebalus
|
Tyndarus cum Leda
Helena

Ita Pausanias III, 1, 2 sqq. cf. Schol. Eurip. Or. 615; Dict. Cret. I, 9; Hellanic. ap. Schol. ad Il. σ, 486. In iis merito gravissimus auctor habetur Pausanias, qui, cum ipse (IV, 2, 2) in rebus Messeniis Eoeas, Naupactica, Cinaethonis et Asii carmina ante oculos habuisse se dicat, quae res cum Lacedaemoniorum origine cohaerent, in hoc quoque Helenae genere enarrando eadem illa antiquitatis monumenta

non neglexisse credi debet. Ab eo tamen alii dissentiunt, qui Cynortem omittunt, ut Dictys, alii, qui Argalum non nominant, ut Apollodorus III, 10, 3, 5. Haec discrepantia inde orta est, quod uterque, Cynortas et Argalus filii Amyclae fuerunt, Paus. III, 1, 3; hoc autem, qui natu maximus erat, immatura morte defuncto, Cynortes regnum accepit. Alter itaque eum ordinem secutus est, ut generis auctores enumeraret, non autem, ut Pausanias, regum seriem, alter errore deceptus Cynortem cum Argalo commutavit, quod eo facilius fieri poterat, quia ab aliis antiquis poetis omnis prosapia aliter descripta fuerat. Fuerunt enim multi, qui Perieren Cynortae filium dicerent, cuius aut filius aut ex Oebalo filio nepos Tyndarus fuisset; alii autem Perieren Aeoli filium tradiderunt, ut in Eoeis narratum fuerat, Paus. IV, 2, 2; II, 21, 7; Apollod. I, 9, 5; Stesichorus autem Cynortae filium Perieren dixerat, qui genuisset Tyndarum; Tzetz. ad Lyc. 511; Apollod. III, 10, 4. Tragicorum poetarum carminibus haec generis series tradita fuisse videtur, Tyndarum ex Oebalo nepotem Perieris fuisse, cf. Schol. ad Il. *β*, 581; Eust. ad eund. l.; Schol. Eurip. ad Or. 615; Hyg. 78; Apollod. I, 9, 5, ubi multorum narrationem esse dicit, filium Cynortae esse Perieren; quae eo magis invalere debuit, quoniam Lacedaemoniorum erat propria, illa autem altera Messeniorum, cf. Paus. ll. ll. Duplicem habeo huius varietatis causam: primum Gorgophone Persei filia Oebali et Perieris uxor fuisse traditur; illi virgo nupsisse dicitur, Paus. II, 21, 7; huic post mortem Perieris. Paus. IV, 2, 4; III, 1, 4; sive igitur Perieris sive Oebali filius erat Tyndarus, mater tamen eadem erat; altera causa est, quod duo eiusdem nominis fuisse dicebantur, cf. Apollod. III, 10, 5, e cuius verbis id aperte cognoscitur; quae etsi antiquissima narratio minime fuisse

videtur auxit tamen rei difficultatem ipsam, quam expedire homines voluerant. Apud Dictyn eadem praeterea, quae in serie generis regum Troianorum, varietas observatur, Taygetam Agenoris filiam fuisse, quae communi ceterorum scriptorum consensu Pleias et Atlantis traditur.

Maior etiam est varietas in serie maiorum Ledae, cuius genus Apollod. I, 7, 2 — 8 ita describit: Deucalion — Hellen — Aeolus — Calyce filia nupta Aethlio, — Endymion — Aetolus — Pleuron — Agenor — Demonice filia, quae e Marte Thestium genuit, qui ex Eurythemide Ledam filiam habuit. Haec credo ex Hellanico hausit Apollodorus; Agenoris filium Thestium esse Areius carminibus reliquerat, Paus. III, 13, 8; Demonice autem Andronice appellatur apud Schol. ad Apoll. Rh. I, 146. Sed Eumelus in Corinthiacis Ledam a Glauco Sisyphi filio e Pantidyia genitam esse narraverat, quam cum postea Thestius sive Thespius, sic enim nominis scriptura fluctuat, uxorem duxisset, eius quoque filiam Ledam habuissent. Pherecydes (fragm. 8.) ab his dissentiens, Thespii quidem filiam esse Ledam, matrem autem eius Laophonten Pleuronis filiam fuisse tradidit. Haec Scholiastes Apollonii ad l. l. affert, qui Aetolin Ledam dicit, quam Ibycus Pleuroniam, Hellanicus Calydoniam appellabant, cf. Eust. ad Od. λ, 297. Quae Dictys affert, eam a Phineo Agenoris filio originem deduxisse, supra tetigi.

Ex Leda itaque Iovem Helenam genuisse ab omnibus uno ore tradi affirmat Pausanias I, 33, 7; cuius famae auctorem ipsum Homerum haud satis recte habebant veteres, qui Il. γ, 418 Helenam *Διὸς ἐκγεγαυῖαν* dixerit. Homerica enim carmina, si singulos quosque locos comparaveris, non prorsus consentire sibi arbitror; nam versu 243 Iliadis l. l. se-

pultos narrant Castorem et Pollucem in terra patria, qui filii Ledae et Tyndari dicuntur et fratres germani Helenae, Od. λ, 299; Il. γ, 238; sepulcrum autem eorum Therapnis fuisse dicitur, Pind. Nem. X, 105; et tamen Odysseae l. l. ea quoque memoratur narratio, vivere Dioscuros alternis diebus. Quem locum si quis accuratius inspexerit, mecum mirabitur, priorem eius partem ex Iliade expressam esse, cui deinde adduntur versus tres obscuri neque eam, quae postea vulgata erat de eorum alterna vita fabulam, sed ab ea diversam continentes. Qui versus aut obelo notandi et spurii habendi sunt, aut increbuisse iam tum famam, qua sacer quidem honos fratribus Helenae et Helenae ipsi tribuebatur, statuendum est; eius autem famae nullum vestigium in Iliade apparet.

Non possum, quin id quod num profiterer diu dubitabam, ingenue et libere eloquar. Tyndaridae posterioribus demum temporibus in eum honoris locum, quem deinceps in religionibus Graecorum tenebant, evecti dicuntur. Creuzer. Symbol. II, pag. 237. 242. Quod verissime a viro doctissimo observatum est. Sed si antiqua et Graecorum propria doctrina sacra fuit de duumviris in rerum natura dominis, aut de duplici omnium rerum initio, haec doctrina cum Graecorum quoque historia mythica Graecisque fabulis statim ab initio iungi debebat, neque ereptus alteri honos deferri ad heroes, quorum nomina et gloria omnium ore celebrabantur; itaque si postea tandem heroes reperti, quorum nomina et rationes non absimilia fuerint, ut ad doctrinam sacram et narrationem aut explicationem theologicam referri possent, haec doctrina et haec sapientia postea quoque exorta et adolevisse videtur. Potest hoc multis exemplis confirmari, ut iis, quae de Hercule, Perseo, Achille, Iphigenia, Helena, Dardano et aliis narrantur; quorum

omnium a posteris celebrata sancta numina antiqui poetae aut omnino ignorabant, aut longe diversa saltem de iis tradebant. — Eam ipsam quoque rationem fuisse, qua utebantur veteres in deorum suorum nominibus fingendis, aut cum eos cum diis aliarum gentium compararent, satis constat; et talis haec ratio est praeterea, quae et rerum humanarum ingenio et totius historiae eventu commonstretur. Sed multis opus est verbis, ut res omnis accurate explicetur; ad propositum redeo.

Fabulae illius enarrationes Scholiasta et Eustathius ad Homeri Il. ll. multas e variis scriptoribus afferunt. Vulgaris narratio erat, Iovem in cycnum mutatum e Leda Helenam et Pollucem genuisse; cf. Pind. Nem. X, 150; Eurip. Helen. 18; Troad. 398; Schol. Eurip. ad Or. 453; Tzetz. ad Lyc. 88; Chil. II, v. 686; a Tyndaro autem mortalem Castorem genitum esse dicunt, cui tamen alii Iovem quoque patrem tribuebant, Schol. Eur. Hec. 924. Sed ab hoc fabulae ordine multi, qui dissentiunt, Nemesin Helenae matrem fuisse tradunt, Cypria carmina ap. Athen. VIII, 3, pag. 334. B; Isocrat. Hel. enc. 26; Pausan. I, 33, 7; Apollod. III, 10, 7. Tzetz. ad Lyc. 88. Tzetzes autem hanc fabulam affert: Iovem in cycnum mutatum Nemesin Oceani filiam gravidam fecisse, eamque ovum peperisse, quod cum pastor aliquis forte repertum ad Ledam attulisset, haec diligenter custodivit, et Helenam, quae tandem inde prodiit, ut suam enutrivit, quidam adeo ex eodem ovo Castorem etiam et Pollucem exiisse tradebant. Sed Apollodorus Nemesin, cum fugeret Iovis connubium, in anserem mutatam esse dicit, quam cycnus factus Iupiter compressisset. Apud alios scriptores Tzetzes se legisse dicit, Iovem in stellam mutatum Castorem et Pollucem, cycnum factum Helenam genuisse, cuius fabulae explicationem

idem Tzetzes ad v, 506 affert, fuisse Cyonem quendam regem Achaiae, filium Ederionis, qui adulteratus Ledam Helenam genuisset, quem Cyonem a Cedreno Cycnum appellari. Hephaestion (ap. Phot. pag. 247) miram fabulam affert, Solem Helenae patrem fuisse, et ipsam Leontèn quoque dictam esse. Tales fabulae eo facilius excogitari poterant, quod Helenae nomen idem est ac σελενή. Idem (pag. 248) Helenam Echo vocatam esse tradit propter id, quod legitur apud Homerum Od. δ, 279. — Post raptam Helenam Leda laqueo vitam finisse dicitur, Eurip. Helen. 136.

CAPUT IV.

RAPTUS HELENAE.

Auctores, qui Helenae nobis memoriam reliquerunt, etsi in tam multis rebus dissentiunt, uno tamen ore formam eius praeclaram celebrant, quae primo aspectu cuivis admirationem et amorem sui iniecerit. Septem annos habebat, cum die quadam festa Theseus et Pirithous eam in choro puellarum saltantem ut conspexerunt ita ingenti eius amore statim arserunt, consilioque rapiendi eam capto, uter raptam uxorem haberet, sorte decernunt. Quae sors cum Theseo contigisset, Aphidnas transportatam matri Aethrae educandam reliquit et ipse cum Pyrithoo ad rapiendam Proserpinam abiit. Sed Castor et Pollux irati cum exercitu Atticam invasere et expugnatis Aphidnis sororem inde et matrem Thesei Aethram abduxerunt.

Alcman. apud Paus. I, 41 4; Hellan. fr. p. 121; Herodt. IX, 73; Strabo XI, p. 607. *B*; Diod. IV, p. 307; Isocr. Helen. enc. 9; Athen. XIII, 4. Apollod. III, 10, 7, 4; Plut. Thes. 29; Quint. Sm. XIV, 518; Steph. Byz. s. v. *Δεκέλεια*; Lucian. D. D. 20, 14; Hyg. 79; Schol. Apoll. Rh. I, 101; Sch. Hom. Il. *γ*, 143; Tzetz. ad Lyc. 148. Fuerunt, qui Iphigeniam Thesei et Helenae filiam esse dicerent, cuius fabulae auctores Paus. II, 22, 6 et 7 affert Stesichorum, Euphorionem, Alexandrum Pleuronium, quibus Durin Samium Tzetz. ad Lyc. 103 addit, cf. Anton. Lib. 27. Argivorum ea narratio fuit; alii enim Helenam intactam mansisse dicunt, Ovid. Her. XVII, 31. Homerus eius rei mentionem non facit; Scholiastes ad Il. *γ*, 140, cf. quae ad v, 626 dicuntur, ignorasse totam fabulam eum contendit. Plutarchus autem, qui non Theseum ipsum, sed Lynceum et Idam rapuisse Helenam narrat, a quibus eam Theseus fide data, ut ne Tyndaridis reposcentibus redderet, custodiendam accepisset, Atticos sequi scriptores et id agere videtur, ut Theseum opprobrio senilis amoris purget, quem Hellanicus tum quinquagesimum annum egisse dixit.

Reducta itaque ad suos Helena cum adolevisset, gloria formae egregiae ita totam Graeciam complevit, ut cuncti nobilissimi principes ad Tyndarum convenirent et eam uxorem sibi poscerent. Quod cum Tyndarus se filiam haud facile uni prae ceteris, quin alios offenderet dare posse cognovisset, singulos iureiurando adegit, ut, quem ipsa sponsum sibi delegisset, eum ab omni iniuria cuncti defenderent: Menelai itaque uxor facta est. Hac narratione sibi rationem belli societatis, quam cuncti deinde contra Troianos inierunt, invenisse videbantur; ab Homero eam non commemorari Schol. ad Il. *β*, 286 dicit; alii tamen eius vestigia apud Homerum se deprehendere putabant, Sch. Il. *γ*,

49; quibus ego minime assentior, tum commotus auctoritate Thucydidis (I, 9.), qui Agamemnonem, cum ceteris multum opibus praestaret, ita Graecos contra Troiam duxisse dicit, tum loco Homerico Il. δ, 266; ubi Idomeneus Agamemnoni se belli societatem promisisse fatetur. Illum tamen narrationis ordinem plerique scriptores secuti sunt, Stesichorus, Schol. Il. β, 339; Apollod. III, 10, 8, 2; Tzetz. Anteh. 171. Menelaus itaque uxorem Spartam abduxit ibique filiam ex ea genuit Hermionen, aeque ut mater forma insignem, Il. γ, 175; Od. δ, in. Eur. Andr. 898. Unam eam progeniem fuisse antiquissima Homeri memoria est, a quo in alia abiere poetae, duos liberos fuisse; ut Hesiodus (fragm. 40. ed. Dind.) narraverat, quem Sophocles Electr. 539 sequitur, Hermionen filiam et Nicostratum filium; cf. Schol. Eurip ad Androm. 880, ubi is filius in Cypriis carminibus Plisthenes dictus esse traditur. Lysimachus eadem narrasse fertur, et Cinaethonem consensisse cum Hesiodo Scholia ad Il. γ, 175 dicunt; a Dietho tertium filium Morraphium additum esse, a Lacedaemoniis quoque duos Nicostratum et Aethiolan cultos esse ibidem legitur, cf. Eusth. ad Od. δ, 3. — Apollodorus III, 11, 1 Hermionen, Nicostratum, Megapenthem, Xenodamum enumerat; Scholiastes Theocr. 18, 45 duos filios Sosiphanem et Iolmum, qui ab aliis Thronius diceretur, duas filias, Meliten et Hermionen, liberos Helenae et Menelai nominat. E serva Megapenthem filium Menelao natum esse Homerus Od. δ, 11 tradit, ex eadem Nicostratum genitum Pausan. II, 18, 6; cf. III, 18, 3, contendit. Stephanus Byz. s. v. Αἰγὸς et Tzetzes ad v. 851, dum Lycophronem explicant, quod Helenam θηλύπαιδα dixerit, masculam ex ea prolem neque Menelao neque Alexandro neque Deiphobo genitam dicunt.

Ad Menelaum itaque, qui Spartae cum uxore vivebat, Paris Troianus advenit, hospitioque eius exceptus est, Il. γ, 345. Variis narrationibus, cur Paris in Graeciam venerit et quare a Menelao potissimum hospitio exceptus sit, explicare veteres studuerunt. Homeri aetate simpliciter narratum esse videtur, navibus Paridem advenisse et hospitis sui uxorem captam forma peregrini blanditiis et promissis pellectam ab eo et abductam esse; cuius rei auctor Venus, nuptiarum conciliatrix et amoris dea, vulgo ferebatur. Ita quoque Cypria carmina tradiderant, nisi quod promissam a Venere uxorem statim post habitum de forma dearum iudicium a Paride navibus fabricatis et sociis sibi iunctis, quibus Venus ipsa filium Aenean addiderit, quaesitam esse narraverunt. cf. Procl. Alium fabulae ordinem, iratam Venerem Tyndaro fuisse, qui, cum ceteris diis sacrificia exhiberet, ipsam solam neglexisset, ob quam causam illa filias eius amore plurium virorum corrupisset et adulteras fecisset, antiquissimorum poetarum Hesiodi et Stesichori, ipsius adeo Homeri testimoniis confirmare studet vetus interpres Eurip. Or. 239 (Matth.). Non abhorret ab antiquitate ordo fabulae, et similis est narrationi de apro Calydonio, ab irata Diana immisso, apud Homerum Il. ι., 334. Aliam causam irae Veneris Hephaestion (pag. 247. lin. 32) affert, quod promissa a Menelao hecatombe ipsi non fuisset exhibita. Acusilaus a Venere quoque omne bellum Troianum excitatum esse dicit ideo, quia post Troiae urbis excidium filium suum regnaturum esse Dea cognitum habuisset. — Alii Parin a Priamo, qui ob abductam sororem Hesionam Graecis iratus fuisset, missum esse narrant, ut aut Hesionen repeteret aut simili iniuria Graecos afficeret, Serv. ad Aen. X, 92. Legatus Paris in Graeciam venisse ab aliis traditur, Schol. Il. γ, 354; aut cupiditate

captus regiones peregrinas visendi; Dict. III, 26; aut profugus e patria, quia Antheum Antenoris filium, quem ipse et Deiphobus amabat, imprudens interfecisset; Tzetz. ad Lyc. 132. Alia autem eodem loco Tzetzes narrat, secutus Schol. ad Il. ε, 64; fabula haec est: Menelaus, cum Argos pestilentia vexaretur, oraculo, ut Teucrorum diis sacra faceret, iussus Troiam venit, ubi Priami hospitio exceptus est. Perfectis quae voluerat cum Argos rediret, socium itineris habuit Parin, et uterque ad Delphicum oraculum, ille ut de liberorum progenie, hic ut de uxore deum consuleret, et inde Spartam profecti sunt. Ibi Paris Helenam vidit et rapuit. Hac narratione id simul assequebantur auctores, ut hospitii Menelaum inter et Alexandrum causam quandam afferrent, quod alii expedire ea ratione conabantur, ut antiquam inter Troianos et Achivos amicitiam fuisse narrarent. Serv. ad Aen. X, 91.

Oraculum Troianis datum fuisse ne navigationi studerent, Hellanicus dixerat, Schol. Il. ε, 64. cf. fr. 139; et interpp. Il. ε, 60; quod Paris non curavit. Menelaus autem, postquam hospes advenerat, abiisse Cretam, aut cum adveniret abfuisse dicitur. Res monere videtur, ut de Chorizontum quaestione agatur, num vi raptam Helenam an volentem cum Paride abiisse dicat Homerus; illi enim alterum in Iliade alterum in Odyssea tradi putabant, Schol. Il. β, 356. Equidem illos veteres Grammaticos praecocius iudicasse arbitror, ex ipsius enim Homeri claris et apertis verbis tale discrimen nullo modo statui potest; locus enim unus est ille laudatus, quo sententiam suam comprobare volebant, qui non consentit cum altero Il. γ, 174, ubi Helena sequutam se Alexandrum esse dicit, neque cum versu 139 eiusdem rhapsodiae, quo, ut in murum ascenderet, unde certamen Mene-

laum inter et Alexandrum conspici poterat, Helena a Venere commota esse dicitur excitato prioris viri dulci desiderio; neque cum versu 400, ubi a Venere se ad id facinus pellectam esse dicit; cf. Il. ω, 766. Fuit vero antiqua narratio, raptam esse expugnata armis urbe a Paride Helenam, cf. Quint. Sm. IV, 155; Ovid. Heroid. XIII, 58; Serv. ad Aen. I, 526; X, 92; cuius narrationis fundus versus Iliadis γ, 47 haberi recte potest; cum quibus et ea veterum poetarum narratio comparari potest, Helenam capta Troia in captivarum mulierum numero habitam et dubitatum inter Achivos esse, num Menelao redderetur an occideretur mulier, propter quam tot viri fortes mortem obierint. Eur. Troad. 34; quam rem infra accuratius enarrabimus. Volentem ipsam abductam esse plurimi praeterea auctores tradiderunt, cf. Ovid. Coluth. Il. Il; Philostr. Heroic p. 696; Schol. Il. γ, 443; Tzetz. Anteh. 113.

Non autem uxorem solam hospitis sed servas quoque et auri argentique pondus secum Paris abduxit; cf. Il. η, 350; 363; γ, 144. Procl.arg. Cypr. carm. τὰ πλεῖστα κτήματα dicit; hinc Aeschylus Agam. 534 duplicis criminis Troianos accusat, (διπλᾶ δ' ἔτισαν Πριαμίδαι θ'ἁμάρτια ἁρπαγῆς δέ καὶ κλοπῆς δικήν); cf. Dict. Cret. III, 23, qui inhiasse eos Atrei et Pelopis divitiis dicit. Mulieres ancillas duas Homerus Il. γ, 144 nominasse perhibetur Aethram et Clymenam. Haec Aethra Thesei mater esse dicitur, quae, postquam eam Tyndaridae Aphidnis expugnatis abduxerant, apud Helenam mansit; Pithei, qui Pelopis filius erat, nata dicitur; cf. Il. γ, l. l.; Eurip. Med. 679; Paus. I, 22, 2; II, 30, 8. Strab. VIII, 574, C; Diod. IV, p. 303; Plut. Thes. 3; Schol. Eurip. Hippol. 11. Dubitasse videntur veteres, num haec Homero memorata Aethra Thesei mater esset, cum tem-

poris rationes repugnarent, cf. Schol. Il. ε, 148; sed non est poetae, tempus computare, neque illa dubitatio fidem alteri sententiae detraxit.

Clymenam illam Antimachus (cf. Eustath. ad Il. γ, 144) Hippalci sive Hippalmi Pelopidae filiam dixerat; cf. Schol. Pind. Ol. I, 144; Schol. Il. γ, 144.; Hyg. 14; 84. Utraque igitur Menelao affinitate coniuncta erat, quam affinitatem confusa et inepta genealogia expedire conabatur Ioann. Malel. pag. 118. Illam Aethram alii tamen sponte cum Helena abiisse narraverant; Tzetz. ad Lyc. 447; a poetis utrique partes haud honestae internuntiae Parin inter et Helenam tribuuntur. Ovid Met. XVII, 267. Tzetz. ad Lyc. 129; 495, 503. Longe alia tamen de Aethra Istrus narraverat, cf. Plut. Thes. 34, secundum aliorum scriptorum narrationem ab Hectore ipso Troezeniorum urbem captam et Aethram inde abductam esse. — Clymenam Aethrae filiam dicit Dict, VI, 2.

Helenam ab Alexandro captam esse cum venaretur in montibus, tradit Ptol. Hephaestion ap. Phot. Bibl. p. 247; inventam esse Baccho sacra facientem ab adveniente Paride, Tzetzes ad Lyc. 103 tradit.

Nomina urbis, in qua sedem regni fixerat Menelaus, varia auctores tradunt, Sparta nominatur Il. β, 81; Lacedaemon Od. δ., quod nomen et urbis et regionis fuisse Strabo dicit; Amyclas et Lacedaemonem Ovidius Heroid. I, 5; A. A. II, 5 confundit; cf. O. Müllerus Min. pag. 319; Dor. I, p, 91. Omnes tamen in eo censentiunt, Menelaum aut statim post adventum Paridis abiisse Cretam aut iam abfuisse eo adveniente; hoc narrabant Cypria carmina, cf. Procl; Eurip. Troad. 937; Hel. 768; Ovid. Heroid. XVI, 299. A. A. II, 359. Hephaest. ap. Phot. pag. 250; illud tradunt Coluthus, Tzetzes Anteh. v. 100 et Ioann. Malel. p. 117; qui discessisse Menelaum tradunt, ut

sacra quae quotannis facere consueverat Cretae faceret. Quam rem obscure Dictys innuit, qui I, 2 sacrificii in templo Europae celebrati meminit.

CAPUT V.

PARIDIS ERRORES, LEGATIO GRAECORUM.

Delato Cretam ad Menelaum nuntio eorum quae acciderant, sive per servos, Tzetz. Antehom. 135; ad Lyc. 132; sive per milites, Ioann. Malel. 119, ita consternatus est, ut impos mentis haereret. Vix perturbatum regem erexit Palamedes, Dict. I, 4, *qui* Spartam eum abduxisse dicitur, quo ceteri reges Paridis scelere audito statim convenerant. Nestori autem Cypria carmina, ut videtur, hoc consolandi munus tribuebant; cf. Wülln. de poet. cycl. pag. 75.

Missi sunt ab eo, qui omnia maria perquirerent, ab aliis ipse ad requirendam uxorem navigasse dicitur. Tzetz. Anteh. 135. Stephanus autem Byzantinus s. v. *Διοσκούρων* narrat, fratres Helenae, cum raptorem sororis persequerentur ad Libyam venisse. In consilio Graecorum deinde placuit, ut legati Troiam mitterentur, qui Helenam cunctaque quae cum ipsa rapta erant repeterent; ii legati fuerunt Palamedes, Ulysses, Menelaus ipse. Dict. l. l. Memoria eius legationis extat apud Homerum, Il. *γ*, 205, ubi tamen Palamedes omittitur; in qua re alii scriptores Homeri auctoritatem sequuntur; Philostrat. Heroic. p. 660; Ovid. Met. XIII, 296. Duos tantum legatos

missos ab antiquissimis poetis commemoratos fuisse confirmat vetus interpres Homeri ad Il. ι, 167, qui aliis locis, Od. ι, 89; Il. λ, 140 comprobat, fuisse eum hominum illius aetatis morem, ut plures non mitterentur. Rem narraverant Cypria carmina, sed legatos, postquam Troiam appulisset Graecorum exercitus, missos esse ex insula Tenedo fortasse, tradiderant, Schol. Il. γ, 206. Ex Dictye sua hauserunt Io. Malel. pag. 122; cf. p. 139; Tzetz. Anteh. 154; ad Lyc. 447. 495; ab aliis in his legatis Acamantem Thesei filium fuisse memorari supra annotavi, Parthen. Erot. 16; ipse Dictys tragicorum poetarum narrationes praecipue secutus esse videtur, qui fabularum argumentum hanc sibi legationem delegerant; talis tragoedia erat Ἑλένης ἀπαίτησις Timesithei, Suid. s. v. Τιμησίθεος; confundit praeterea more suo rerum ordinem, nam iterum de redimendo Polydoro legatos a Graecis missos esse narrat II, 20.

Legati, cum Troiam advenissent, Antenoris hospitio excepti sunt; Alexandrum, nondum in patriam reversum, ibi non offenderunt; post longos enim errores sero tandem rediit. Illos errores Homerus tangit Il. ζ, 290; γ, 443; per quos eum circumactum esse immissa a Iunone irata tempestate Cypria carmina narraverant. Vario modo totam fabulam scriptores tradunt; Alexandrum Sidonem in Phoeniciam delatum eam urbem cepisse et diripuisse carminibus Cypriis narratum erat, quibuscum congruunt fere ea, quae locis Iliadis ll. traduntur; Dictys non urbem a Paride expugnatam sed regem Sidoniorum noctu per insidias necatum dicit. Alii adventum eius pacatum fuisse et nuptias ibi celebratas esse memoriae reliquerunt, Schol. Il. γ, 444; quod tamen secundum Cypria carmina Troiae factum est, e quibus fortasse desumta sunt, quae de laetitia Troianorum admirantium et lau-

dantium formam Helenae et de Hecubae in nurum praecipuo favore apud quosdam leguntur. Aberrasse eum ad Phoeniciam alii dixerunt, cum effugere studeret persequentes Graecos; Schol. Il. ζ, 290; ad Cariam, ubi Motylus quidam eum excepisse narratur; St. Byz. s. v. Σαμυλία. Erat divulgata quoque per antiquitatem fama, in eo itinere Paridem in Aegyptum venisse, cuius fabulae auctores extant Herodotus II, 112, sq; Stesichorus ap. Tzetz. ad Lyc. 113; Euripides in Helena; cf. Philostrat. Heroic. pag. 667; Lycophr. vs. 820; Tzetz. ad vs. 103; Anteh. 147. Serv. ad Aen. II, 592. Res ipsa nota satis est: Helena enim a Proteo Aegypti rege retenta, Paris cum simulacro Helenae Troiam navigasse, qua expugnata Menelaus postea errore et tempestate ad easdem regiones delapsus non tactam ab adultero uxorem salvam recuperasse dicitur. Cuius narrationis nemo alius auctor haberi potest, quam Aegyptii ipsi, quos talia vano studio finxisse Herodotus ipse (III, 2) testatur. Quod autem idem historicus cap. 117 e carminibus Cypriis se afferre dicit, trium dierum itinere Parin Lacedaemone Troiam venisse, cum iis, quae Proclus in argumento eorum carminum affert, quem potissimum auctorem sequendum esse nemo dubitabit, conciliari nullo modo potest. Interpolata esse illa argumenti verba et spuria, addita ab eo, qui Cyprii carminis narrationem cum Homeri carmine congruam facere voluisset, iudicat Wüllnerus de cyclo epic. pag. 73, neque Herodoti verbis fidem denegandam esse contendit. Illud tamen miror, quod nemo alius narrationem Cyprii carminis sequutus est, sed omnes in iis consentiunt, quae Homerus tradit. Totum annum errasse Alexandrum Tzetzes Anteh. 140 dicit. Fieri autem potuit, ut Herodotus et Proclus diversam editionem eiusdem carminis ante oculos haberent, et

hinc narrationis diversitas exorta sit. Trium dierum enim spatium adeo exiguum est ad hoc iter faciendum, ut Homerus ipse Od. γ, 157 sqq., licet nocte dieque navigassent, Nestorem et Diomedem quarto demum die Lesbo Argos venisse dicat vento secundo usos.

Ego itaque Wüllneri sententiam neque probare neque reiicere audeo, quanquam accedit illud, quod Procli verba eo facilius corrupta esse possunt, quod excerpta ea sunt, quae nunc leguntur, ab altero nescio quam accurate aut negligenter. (Vide, quae capite sequenti dicuntur de tempore inter raptum Helenae et adventum Graecorum in Troiam praeterlapso.)

Cum deinde Paris adveniret, tumultum a populo sceleris odio excitatum esse alii narrant, ut Dictys, alii autem, ut Tzetzes, Ioann. Malel. p. 121, magnam adeo laetitiam civium mirantium formam Graecae mulieris extitisse tradunt. Constans autem poetarum narratio est, in diversa abiisse et populum et principes regisque ipsius filios quorum altera pars Alexandro favebat eiusque incepta probabat, altera reddendam Helenam pacemque petendam frustra censebant; in illorum numero praecipue habetur Antimachus, in his Antenor et Hector, cf. interpp. Il. γ, 57; η, 545. Eurip. Tr, 1003; Ovid. Met. XIII, 196; A. A. III, 439; IV, Fast. 75; Horat. Ep. I, 2, 9. Hectorem et Priamum Helena ipsa semper benevolos et amicos erga se fuisse dicit Il. ω, 764, sqq. ut merito dubites de Servii opinione, qui saevum Hectorem ideo appellatum a Virgilio (I, 99) dicit, quia reddi Helenam voluisset, quod verbum poetae explicatur versu Iliadis γ, 60. Diversa tamen de Hectore fuisse fama videtur, nam Dictys, qui ubivis varias variorum narrationes commiscet et conglutinat, modo Deiphobum Helenam, ut ne redderetur, precantem adiuvisse dicit, modo

Hectorem, etsi improbasset a fratre in hospitem commissum scelus, Helenam tamen non reddendam esse censuisse dicit, quippe quae supplex, ne id fieret, petiisset; qua narratione generosum Hectoris animum, qualis a poetis plerumque describitur, optime designare videtur; cf. I, 4; 7; 10; II, 24. sq.

Antenor legatos hospitio exceperat, cumque Antimachus iste auctore Paride insidias iis strueret aut ut occiderentur certe suasisset, eius potissimum opera servati sunt. Il. γ, 205; λ, 138. Ovid. Met. l. l.; Tzetz. Anteh. 196; Dict. II, 22. Hinc orta fabula de Antenoris Graecorumque mutua benevolentia et amicitia, atque de patriae proditione, quam crimini dant Antenori.

CAPUT VI.

APPARATUS BELLI, CATALOGUS NAVIUM.

Reduces infecta re legati cum singula, quae Troiae experti erant, exposuissent, principes Graecorum Argis convenisse ibique iureiurando belli adversus Troianos societatem confirmasse et totius expeditionis ducem Agamemnonem creasse Dictys I, 12; narrat. Antiquissimum fabulae ordinem verissime Thucydides I, 9, indicat, uti iam supra monui, Atridarum auctoritate et opibus Graecorum principes commotos esse ad belli societatem, quod altero Homerico loco Il. *α*, 158 firmatur, quo Achilles Agamemnonem secutos Graecos dicit. Ea quoque Cypriorum carminum narratio fuit, sic enim Proclus de Atridis: *ἔπειτα τοὺς*

ἡγεμόνας ἀθροίζουσιν ἐπελθόντες τὴν Ἑλλάδα; quam ipse Dictys, etsi recentiores potius auctores in reliquis sequitur, qui voluntariam Graecorum expeditionem fuisse plerumque narrant, oblique innuit, nam (I, 5) ab Agamemnone inter principes magnum auri pondus divisum esse narrat, quo paratiores omnium animi ad bellum essent. Adiungit huic aliam rationem, omnes enim principes e genere Pelopis sicque consanguinitatem foederis causam fuisse tradit. — Alia fama Ulyssem foederis auctorem designasse videtur, ipsum enim omnes duces adiisse suoque consilio ad bellum perduxisse refert Tzetz. Antehom. 307. cf. Ioann. Malel. pag. 139. Bis Argis Graecos convenisse Dictys memorat, cf. II, 9, primo ante initium belli, tum post expeditionem in Mysos haud prospere gestam; eundem locum memorat Pausan. II, 22, 2. Spartam alii nominant, Tzetz. ad Lyc. vs. 204; 205; 329; quam Lacedaemoniorum narrationem fuisse Pausanias III, 12, 6, dicit; eo quoque sed prima de rapta Helena fama excitatos Graecos principes convenisse Dictys narrat.

Praeter eum catalogum, qui hodieque in carminibus Homericis superest, alter Cypriorum carminum heroes, qui contra Troiam bellum gessissent, recensebat; cf. Procl. Numerum totum militum accuratiore, quam hucusque factum est, computatione extricari posse erat qui opinaretur, sed saniore ratione, quam qua usi sunt veteres ipsi, fieri id posse equidem desperabam. Thucydides autem (I, 10), quem secuti sunt grammatici, cf. Schol. et Eust. ad Il. β, 488, numerum quendam medium statuit inter minimum eorum, qui in una nave memorantur, et maximum; erant autem naves mille centum sex et octoginta, numerus itaque universi exercitus additis ducibus ipsis efficitur centum millia octingenti triginta novem, qui numerus

maior potius quam minor haberi debet. Si autem alii poetae numerum navium vel militum uno verbo nón satis accurate definiunt, ut Virgilius Aen. II, 193, qui mille naves fuisse dicit, non est in his haerendum, quasi diversam fabulam sequuti essent ii auctores.

Nobis heroes illos praeter Homerum enumerant partim Euripides Iph. Aul 190 sqq., Hyginus f. 97; Dictys I, 17; Ioannes Mal. p. 135, qui quidem minime consentiunt, sed singula singulorum verba conferre omnemque in numeris navium varietatem annotare vix operae pretium videtur; ea itaque tantum, quae paullo maioris momenti sunt, hic adscribere iuvat.

Primus omnium nominatur rex Agamemnon, cui Euripides l. l. 259 quasi socium in imperio addit Adrastum, nemo alius eandem rem commemorat; praeter centum naves, quibus suos milites ducebat et octoginta quas Arcadibus dederat, Ioannes Mal. *triginta* addit *εἰς λόγον ἀνατροφῆς τοῦ στρατοπέδου*, eas naves illas, quarum Homerus Il. *ι*, 72 meminit, grammaticus aut historicus aliquis fuisse fortasse dixerat. Nestorem Homerus cum navibus nonaginta venisse tradit; addit Hyginus Thrasymedem cum quindecim et Antilochum cum viginti navibus; Dictys quoque Nestorem cum utroque filio adfuisse narrat; Philostratus autem (Heroic. p. 670) Antilochum quinto demum belli anno ad Achillem venisse narrat, qui patrem exoraret, ut ipsi in exercitu manere liceret, Thrasymedem autem fuisse in exercitu omnino negat pag. 671 A. Antilochus saepius quidem apud Homerum laudatur, quam Thrasymedes, sed eius quoque meminit Il. *π*, 321; et Quintus Sm. eum in iis fuisse dicit, qui in equum Troianum ascenderint; cf. Tryphiod. 157. Menestheus cum quinquaginta navibus Athenis advectus erat. Homerus (Il. *β*, 556) eum fili-

um Petei dicit, cf. δ, 552: Apollod. III, 10, 8; Plut. Thes. 32; Diod. I, p. 33; Euripides autem (l. l. 246) eum Thesei filium nominat; nisi quis non Menestheum sed Demophoontem aut Acamantem ab eo designari putet. Hi Thesei vel ex Ariadne, Diod. IV. p. 306; Schol. Od. λ, 377; Schol. Ap. Rh. III, 997 vel ex Phaedra, Ovid. Heroid. IV, 123; Senec. Hippol. 434; Schol. Eurip. ad Hippol. 313, vel ex alia filii, Plut. Thes. 28 e Pindaro, in Homerico quidem catalogo non commemorantur, quia, ut ait Scholiastes Eurip. Hecub. 119, Troiam venerant non cum navibus et militibus, sed ut avam a Paride abductam aut repeterent aut redimerent, aut quia cum Elephenore Abantum rege privati Troiam profecti erant (Plut. Thes. 25); sed ab aliis poetis et tragicis imprimis in exercitu Graecorum insignes fuisse dicuntur, cf. Procl. exc. ex Arctino; Lesches ap. Paus. X, 25, 8; Soph. Philoct. 562, ut itaque Euripides ad eos respicere potuerit, quanquam duces eos fuisse Atheniensium in hac expeditione nemo alius tradat. Duplicem de iis famam Hellanicus quoque sequutus videtur, regnasse tempore belli Troiani Demophoontem in patria, cf. fragm. 143, aut militasse cum ceteris, cf. fr. 91. — Diomedi, quem cum sociis Sthenelo et Euryalo et octoginta navibus venisse Homerus (v. 563) tradit, Dictys I, 14 et 17 tertium addit socium Amphilochum Amphiarai filium; noverunt eum Homerus Od. o, 247; cf. Eust. ad Il. δ, 407; Apollod. III, 7, 3; 11, 8; Quint. Sm. XIV, 366; sed Eusthatius ad Il. β, 568 Amphiarai posteros, quod amici Thyestae fuissent, ab Agamemnone neglectos esse dicit. — Aiax Oileus quadraginta naves advexit, cf. de eo Schol. ad Il. o, 336; Steph. Byz. s. v. Νάρυξ. Generosum et ferocem animum eius describit Philostratus Her. p. 680, eum non in gratiam Agamemnonis advenisse, sed Graecorum causa,

neque subditum ulli sed suo ipsius arbitrio et lubit Idomeneum idem (pag. 679) de summo imperio cu Agamemnone egisse narrat, et ut pars certe sibi co cederetur postulasse.

In ceteris ducibus enumerandis scriptores illi pa rum dissentiunt; nisi quod Hyginus, si apud Homerum plures duces gentis alicuius fuisse dicuntur, singuli certum navium numerum tribuit, ut Boeotorum du cibus, ut Achilli, Phoenici atque Patroclo aliisque Idem locus Hygini non secus ac ille de Priami liberis mendis scatet, quae facilius tamen et certius tolli possunt, ut hic emendata verba auctoris adscribere longum videatur. Neque in Ioannis Mal. verbis vitia desunt; omissi enim sunt Aiax Oilei, Thalpius et Diores, Podalirius et Machaon, Eurypylus et Guneus; quis vero est ille, quem nominat, Ἀμφιγενείας ἐξ Ἰλίου nisi Αἴας Οἰλέως, illud autem Αμφιγεν quod superstuum adhaeret, aliud nescio quod nomen obtegit, ita quoque Σώρθης absurdum nomen, quod ante Phidippum et Antiphum allitum est, Diorem innuit, sed aut negligentia librarii aut incuria auctoris contaminavit heroum nomina; ille igitur, qui Malelam imposterum edet, quomodo corruptum locum restituat, viderit. Addunt Dictys, Hyginus et Malelas iis, qui in Homerico catalogo recensentur, Palamedem, quem Euripides quoque nominat; Calchantem deinde, qui vel ex Acarnania cum viginti vel Thricca cum quadraginta navibus venerit; Pausanias quoque (I, 43, 1) Agamemnonem eum Megaris, ubi habitasset, abduxisse tradit; tum Mopsum, quem Colophone aut e Cilicia cum viginti navibus advectum esse tradunt, cf. Tzetz. ad Lyc. 980; Epium denique ex insulis Cycladibus cum triginta navibus addunt; innuit hunc certe corruptum Hygini nomen: Phocus architectus; Thessandrum postremo Polynicis filium solus Dictys Cypria carmina se-

quutus addit, et amicitia imprimis Diomedi iunctum fuisse (II, 2) narrat. Notus est ille in fabulis veterum, cf. Hyg. f. 67; 71; Serv. ad Aen. II, 261.

Omnes eos principes Graecos Dictys ex origine Pelopis fuisse ipsos itaque inter se affinitate coniunctos neque a genere Troianorum alienos fuisse tradit. cf. I, 14; V, 2. in. Antiquorum mythographorum de hisce rebus studia notat Eustathius ad Il. *β*, 494. p. 212. ed. Lips. „*τὰ πολλά εἰς τὸν Δία τούτους ἀνάγουσιν* (*τοὺς ἥρωας οἱ παλαιοί*), *ἐπαγωνιζόμενοι καὶ συγγένειαν αὐτοῖς ἀποδεῖξαι πρὸς τοὺς βασιλεῖς ἤγουν Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον, πλατύνοντες μὲν τὸν ἡρωϊκὸν κατάλογον, κάλλιον τοῦ Ὁμήρου ποιοῦντες οὐδὲν ἀλλ' ἢ μόνον ὀνομάτων ἀήθων φορυτῷ ἀηδίζοντες τοὺς ἐντυγχάνοντας.*" Ex his igitur seriorum auctorum commentis tales genealogiae conglutinatae sunt, quaeque iis fides habenda sit apparet. Hi enim sunt, qui fabulas antiquitatis, dum coniungere et illustrare eas studebant, depravabant, uti in hac ipsa re tali generis coniunctione id sibi assequi videbantur, ut rationem quandam afferrent, qua commoti tot Graeci principes id bellum iniissent. Principium eius rei iam in vetusta inscriptione apud Pausaniam (V, 28, 8) invenitur, qui versus operi cuidam, quod heroes illi, qui contra Hectorem fortissimum quemque ad singulare certamen provocantem surgere ausi erant, in templo Iovis statuisse dicebantur, inscriptos affert: „*Τῷ Διΐ τ' Ἀχαιοὶ ἀγάλματα ταῦτ' ἀνέθηκαν ἔγγονοι ἀντιθέου Ταντολίδα Πέλοπος.*" Sunt autem Menelaus, Agamemnon, Aiax uterque, Idomeneus et Meriones, Eurypilus, Thoas, Ulysses. Damastes vero Sigensis de parentibus eorum, qui in hac expeditione interfuissent, totum librum conscripserat: cf. Suid. s. v. *Δαμαστής*. Clara quidem erat per omnem antiquitatem Pelopis memoria, quod imprimis e nomi-

nibus multorum filiorum filiarumque eius (Plut. Thes. 3) atque e varietate fabularum, quae de eo feruntur, intelligi potest. Et sane, si Minois genus cum Atridarum maioribus affinitate coniunctum tradi cogitaveris, stemma describi poterit, quo non quidem consanguinitate sed vario modo affinitate omnes principes coniunctos fuisse demonstres; tantus enim enumerari potest Pelopidarum numerus, ut numerum Priamidarum facile adaequet.

Magno ad id bellum apparatu opus fuit; per totum itaque decennium omnem expeditionem paratam esse veterum narrationibus traditur; cf. Il. ω, 765. et quae Scholiastes ad eum versum affert, qui inde alterum locum Iliadis (δ, 27) explicare conatur, ubi Iuno suam in colligendo Graecorum exercitu operam praedicat. Noverant enim Graeci ipsi validas Troianorum opes, cf. Il. ω, 543; Od. σ, 260; Schol. Il. ι, 668; quanquam Agamemno plus decuplo maiorem fuisse numerum Graecorum quam Troianorum gloriatur Il. β, 125 sqq. Apion et Herodorus dixerant, decem annos errasse Graecos huc illuc itineris in Troiam ignaros, cf. Eust. ad Il. α, 59, qui magnam in his varietatem esse queritur; vide quoque Eust. ad Il. ι, 662, pag. 306 ed. Lips. Antiquissimus narrationis ordo certo sine accurata temporis ratione compositus erat, neque magis quot inter raptam Helenam et Graecorum profectionem intercessissent dies traditum erat, quam quot inter Paridis iudicium atque iter eius in Graeciam; exorta est ea fabularum varietas studio curiosorum scriptorum, non petita et hausta est ex antiquis monumentis. In Cypriis carminibus in id temporis spatium mors Castoris et Pollucis et Atridarum per Graeciam iter factum ad convocandos principes incidisse narrabatur, cf. Procl. Eorum auctoritatem Dictys sequutus esse videtur,

nam (I, 16) peracto biennio cunctos duces ad bellum cum navibus convenisse dicit, ut itaque vix trium annorum spatium inter raptum Helenae et adventum Graecorum in Troiam interfuisse statui possit; quorum partem si erroribus Paridis absumtam esse tradebant, eo magis rerum et temporis series conveniebat, neque id negligi aut contemni debet in ordine illorum carminum, qualis fuisse haberi possit, concinnando. Sed idem Dictys (II, 9) Graecos initio noni demum anni Troiam navigasse narrat. Haec altera narratio, quam more suo, ne quid omisisse videatur, addit, multis aliis rebus adversatur; recte enim cum antiquis grammaticis quaeri potest, quomodo Telemachus, quem, antequam Ulysses ad belli societatem permoveretur, natum fuisse constans et vulgaris fama est, qui igitur eo anno, quo pater eius in patriam redibat, vigesimum quartum aetatis annum certe egressus esse debebat, moneri possit, ne nugas pueriles ageret, Od. *α*, 297, sq; et omnis negotii atque belli imperitum se profiteri queat? Od. *β*, 61; *π*, 71. Neque si decem annos erraverant Graeci, admodum iuvenis Achilles dici potest Troiam venisse, cum iam antea Scyrum diripuerat, neque commoneri Graeci poterant, ut memores essent eorum, quae Aulide gesta essent ante non ita longum tempus, cum ibi convenissent. Sed argutari in his longius nolo; cf. Schol. ad Il. *τ*, 326.

Regem omnium et belli principem Agamemnonem unanimi consensu a cunctis Graecis creatum esse Dictys I, 16 narrat, simul tamen duces navium Achillem, Aiacem et Phoenicem destinatos et exercitui campestri Palamedem cum Diomede et Ulysse praepositum esse tradit.

De Ulysse num dolo ad id bellum, in quo tam praeclarae eius partes fuerunt, excitatus sit, an ipse in primis belli auctoribus fuerit varia feruntur, ut ea

enarrare operae pretium videatur. De nomine eius legi possunt, quae e Sileno Chio Tzetzes ad Lycophr. 786 et Schol. ad Od. α, 21; 75; Ptolem. Hephaest. ap. Phot. pag. 244 afferunt. Antea Nanos appellatus esse (Tzetz. ad Lycophr. 1244) aut Utis (Heph. l. l.) dicitur; Alalcomeneus cognomen aut nomen eius exhibet Stephanus Byz. s. v. Ἀλαλκομεναί; quia expositus ibi ab Anticlea fuisset, ut Istrus ap. Schol. ad Il. ψ, 783 dicit. De genere eius triplex est narratio; ea quae antiquis maxime probata esse videtur, commemoratur ab Eustathio et Schol. ad Il. β, 631; et fragmenta eius supersunt apud Apollodorum. Sic autem generis origo describitur, ut cum Aeolidis iungatur: Deionis filius Cephalus fuit, a quo Cileus natus Arcisium Laertae patrem, avum Ulyssis, filium habuit. Scholiastes ad Il. β, 173 in eo hanc genealogiam immutat, ut Cephalum Mercurii filium fuisse dicat, errore ut videtur deceptus, maternum enim Ulyssis genus ab omnibus ad Mercurium refertur. Dissentiunt ab his Ovidius Met. XIII, 142; Eustath. ad Od. π, 118, ubi Iovis ex Euryodia filius Arcisius dicitur. Quae autem mulierum nomina leguntur, poetarum et mythographorum acumen prae se ferunt, ea itaque pristina antiquorum epicorum fama haberi nequit. Alii Anticleam a Sisypho furtim compressam Ulyssem suscepisse narraverunt, cf. Serv. ad Aen. II, 79; VI, 529; Hyg. 201; Tzetz. ad Lycophr. 344; Eustath. ad Od. λ, 84; quam originem ut dedecus exprobrant Ulyssi apud tragicos; cf. Sophocl. Philoct. v, 417, et Schol. ad eum l.; Heynium (ad Apoll. p. 57) nisi temporis ratio alia res commovere non poterat, ut confundi duos Sisyphos Aeoliden alterum, alterum Ulyssis patrem quereretur. — Aeolides cum recte legatur apud Virg. Aen. VI, 529, non est de alia quadam praeter commemoratas fabula cogitandum:

ita Palamedes ab eodem poeta Belides dicitur aeque longe repetita origine. Hic igitur Ulysses ad bellum cum ceteris proficisci noluit, sed simulata insania expeditionis societatem detrectabat. Missus autem ad eum vocandum Palamedes cum arantem invenisset, obiecit ante aratrum filium Telemachum, ut num vera ea esset insania videret; cumque Ulysses sublevato aratro servare filium studeret, hoc sanae mentis indicio detectus et ad bellum ductus est. Fuit ea tragicorum poetarum post Cypria carmina fabula, enarrata olim in dramate a Sophocle, cf. fragm. ed. Both. pag. 65; tacta ab Aeschylo Agam. 841; superest apud Hygin. 93; Tzetz. ad Lyc. 818; 384; Serv. ad Aen. II, 81; Quint. Smyrn. V, 191. Negant unquam tale quid factum esse Philostratus Heroic. pag 683; Tzetz. Antehom. 307.

CAPUT VII.

DE ACHILLE.

Achilles Thetidis et Pelei filius, clarus genere et rerum gestarum gloria prae omnibus aliis, paternum genus ab Iove auctore repetit, mater autem erat Thetis Nereis. Peleus filius Aeaci, quem ex Aegina Aesopi filia Iupiter generat, dicitur, Il. φ, 189. Telamonem Aiacis patrem fratrem eius germanum fuisse vulgaris narratio est; solus Pherecydes, apud Apollodor. III, 12, 6 non fratrem sed amicum tantum et socium

Pelei filiumque eum Actaei ct Glauces Cynchrei filiae tradit; pro illo Actaeo Actoris nomen Heynius legendum censet, quod probari potest, quanquam in tam singulari re temere iudicandum non est. Haec autem varietas inde exorta esse videtur, quod Aegina alteri quoque nupsisse dicitur, Actori scilicet; cf. Schol. Pind. Ol. IX, 107, Eust. Il. *β*, 684. Eius Actoris nepos autem dicitur plerumque Patroclus, sed eiusdem Patrocli patrem Menoetium Pelei fratrem esse narraverat Hesiodus, Eustath. ad Il. *α*, 337. Apud nullos alios auctores autem id narrari memini, Menoetium Aeaci filium fuisse. Hinc suspicor errasse aut Eustathium aut eum quem exscripsit potius, qui ut Patrocli cum Achille affinitatem demonstraret, cum invenisset Menoetium et Telamonem ab Hesiodo fratres dictos esse, Peleum quoque his addidit, quanquam hi ab Aeaco, ille ab Actore geniti essent; cf. Schol. Il. *σ*, 10, 11, ubi argumentum de hac affinitate illud ipsum praecipuum habent, Aeginam Actori nupsisse. Rationes autem, quibus permotus Pausanias II, 15, 5 (cf. Schol. Pind. Ol. X, 39) duos fuisse Telamonas putare videtur, tales non sunt, quae Pherecydem ad immutandum fabulae antiquae ordinem commovere deberent; poterat enim in pugna contra Elios occisus dici Telamon et tamen alio modo in narrationibus de reditu Graecorum e Troia, quae narrationes tot singularia et diversa ab aliis continent, tradi poterat, eiectum esse a Telamone reducem Teucrum. Neque ulla alia res Pherecydem ut id statueret commovisse videtur, quam temporum computatio, sed quot heroas ea ratione ex iis, quorum memoria superest, efficere poteris? Exemplum tamen hoc est, ut historici carminum vetustorum traditionem immutaverint studio atque doctrina sua. — Antiquissimam enim famam esse, qua Peleus et Telamon fratres perhibentur,

constans omnium fere scriptorum consensus testatur. Praeter hos, quos ex Scironis filia genuerat, Paus. II, 29, 9; aut ex Endeide Chironis filia, Apollod. III, 12, 6; Tzetz. ad Lyc. 52; Schol. Il. α, 180; Pind. Nem. V, 12; Diod. IV, pag. 316; alium filium Phocum Aeacus ex Psammathe Nerei filia habuit; cf. auctt. ll. et Anton. Lib. 38. Schol. Pind. Ol. VIII, 39. Sed a matre incitati aut invidentes fratri, quem ob virtutem Aeacus mire diligebat, gloriam, Peleus et Telamon consilium inierunt, ut Phocum occiderent, et ab aliis Peleus ab aliis Telamon eum in ludo lapide, quo utebantur disci loco, occidit, occisum deinde clam sepeliverunt. Fratricidas iratus pater e regno eiecit, et Telamon quidem Salamina abiit, ubi a Cenchreo eius insulae rege, cum is liberos non reliquisset, regnum accepit.

Pelei res autem vario modo narrantur, quod mirari non licet, cum quae de eo narrantur cum fabulis de apro Calydonio et cum Argonauticis coniuncta sunt. Ad Acastum ab aliis, ab aliis ad Eurytum aufugisse dicitur, ad Actorem ab aliis. Pindarus Nem. III, 55 sqq; cf. Pherec. fr. 3. eum ad Eurytum vel Erytionem Actoris filium venisse dicit; pro filio patrem Actorem ipsum solenni immutatione aut errore nominant Diodorus IV, 72, Eustathius ad Il. β, 684, qui Peleum a caede fratris expiavisset. Irum Eurytionis patrem nominat Antoninus Lib. 38, eadem ratione, nam ut alii tradunt Actoris filius Irus genuerat Eurytionem: cf. Tzetz. ad Lycophr. 175. Eurytus itaque Peleo expiato filiam A n t i g o n e n uxorem dedit: Apoll. I, 8, 2; III, 13, 3; Pherecyd. l. l. Suid. s. v. Ἀταλάντη; alii ut Staphylus E u r y d i c e n Actoris filiam appellant, quae uxor Pelei fuisset et Polydoram filiam ex eo genuisset, Schol. Il. π, 175; P o l y m e l a m Actoris filiam dicit Eustathius ad Il. β,

684; Philomelam Schol. Apollonii Rh. ad. I, 558; IV, 816. Hunc Eurytum (aut Actorem, Tzetz. ad Lyc. 175) Peleus in venatione apri Calydonii imprudens occidit, Pind. Nem. III, 55; Apollod. I, 8, 2, § 6; et ad Acastum regem se contulit. Ovidius Fast. II, 39; Met. XI, 410; Tzetzes ad Lyc. 175 autem statim post Phoci necem eum ad Acastum fugisse narrant, postquam, ut Ovidius l. Metam. l. ait, lustrationem frustra a Ceyce antea petiverat. Erat eius Acasti uxor Astydamia, Pind. Nem. IV, 92, aut Hippolyte, Schol. Apoll. Rh. I, 224; quae Pelei amore exarsit, cumque eum ad explendam cupidinem pellicere non potuisset, maritum falsis accusationibus de Peleo suspiciosum ita fecit, ut insidias ei strueret; simul nuntium ad Antigonen Pelei uxorem irata mulier misit de novis pristini coniugis nuptiis, quae eo nuntio accepto laqueo vitam finivit; Apoll. III, 13, 3; Suidas et Ant. Lib. ll. ll. Acastus autem Peleum in venatione sopitum labore reliquit, postquam machaeram eius abscondiderat, Hesiod. ap. Schol. Pind. Nem. IV, 95; ab aliis eum solum sine armis venatum misisse dicitur, et Mars obviam factus aut Vulcanus a diis missus machaeram ei dedit; hinc machaeram invenisse dicitur a Servio ad Aen. IX, 505; aut Chiron expergefacto Peleo arma abscondita reddidit, cumque eum Centauri necare vellent, vitam servavit. cf. praeter auctores ll. Pind. Nem. IV, 88 et Schol. ad h. l. et quem alii laudavere Zenob. V, 20. Nunc, ut videtur Peleus iratus aut solus divino telo fretus (Pind. Nem. III, l. l.) aut cum Iasone et Tyndaridis Iolcum expugnavit, ut puniret regem insidiatorem. Apollodorus autem III, 13, 7 hoc post natum Achillem factum esse dicit. Sed eiusdem auctoris locus, ubi, quid servatus a Chirone Peleus deinde peregisset, narrabatur, mutilus est. Legebantur autem eo loco olim

quaedam de Pelei filia Polydora, quam Spercheus aut Borus duxit; nam illud quod cap. 12, 1, a legitur de hac ipsa re, additamentum est librarii cuiusdam; rem enim, quam Homerica carmina expresse tradunt, non uno verbo transegerat Apollodorus. Sed αὖθις illud, quod nostro loco legitur, molestum est, innuere enim videtur, quasi antea quoque de Pelei nuptiis sermo fuisset; itaque legendum αὐτός omisso nomine Pelei, quod codices quoque non exhibent. Poterat eo loco etiam alia fabularum varietas commemorari, alii enim Polydoram a Peleo ex Alcmaeonis filia Laodamia genitam esse dixerant, cf. Schol. Il. π, 173. et Peleus alteram filiam Polymelam habuisse dicitur, quae Menoetii uxor et Patrocli mater fuisset, Apollod. l. l. s. 8, cuius tamen matrem Sthenelen Scholiastes Pind. Ol. IX, 107, Apoll. Rh. I, 69 dicit. —

Peleus igitur ipse Thetin duxit deam, quam uxorem Iupiter et Neptunus antea expetiverant; Pind. Isthm. VIII, 60; Apollon. IV, 795; allegoricam interpretationem affert Tzetzes Anteh. 68, Peleum terram, Thetin mare significare. Duplex inde a remotissima antiquitate fama traditur, alii enim raptam esse a Peleo Thetin dixerunt atque invitam mortalis complexus tulisse, Il. σ, 430; Herodot. VII, 191. Schol. Eurip. Androm. 1241; quae narratio antiquitatis moribus imprimis apta est; cf. Welker de Cret. Col. Theb. Chironis auxilium in conciliandis hisce nuptiis Apollodorus, Protei Ovidius Met. XI, 220 celebrat.

Thetis enim ut Proteus ille Homericus, quo falleret Peleum, in varias se formas animalium et alias commutabat, cf. fragm. Sophocl. e Troilo; ita Nemesin quoque, e qua Iupiter Helenam genuit, ut eius concubitum fugeret, in varias formas animalium mutatam per mare et terram errasse narrabant Cypria

carmina, cf. fragm. ap. Athen. VIII, 3. p. 334. — Philostratus Her. pag. 704 Peleum in Pelio monte ignarum deae cum ea concubuisse narrat.

Alia autem narratio est, Iunonem Peleo, quem imprimis dii diligebant, uxorem Thetin dedisse: Il. ω, 60; Apollon. Rh. IV, 792. Schol. Lyc. 178. Scilicet Iupiter omnino Thetidis connubio potiri cupiebat; sed cum Themis in concilio deorum aperuisset, esse in fatis, ut qui ex ea nasceretur filius patre superior existeret, (cf. Pind. Isthm. VIII, l. l.), quod oraculum alii Prometheo tribuunt, Aeschyl. Prom. 906. Quint. Sm. V, 338. Schol. Il. α, 519, destitit ab incepto et data est uxor Peleo. Alii quoque dixerant, Iovem, quod ipsius connubium Thetis ferre noluisset enutrita a Iunone, eam mortali viro nubere iussisse. Alia narratio fuit, consensisse eam, ut uxor mortalis viri fieret, tum demum, cum ipsi fortissimus filius promissus fuisset, cf. Quint. Sm. III, 615. Cum *illa* autem narratione, nuptias eas Iunonis auxilio conciliatas esse, coniungenda sunt quae de earum magnificentia dicuntur, omnes ibi deos adfuisse et dona splendidissima Peleo dedisse, Il. π, extr. ρ, 195; σ, 82; ψ, 277; Eurip. Rhes. 188; Schol. Pind. Pyth. III, 167; huc quoque pertinent quae de iudicio Paridis traduntur, in hisce enim nuptiis lis, quam postea iudicavit, exorta est. Quot autem poetis nuptiae eae carminum materiem praebuerint, docet Heynius ad Apollod. pag. 313. cf. Luc. D. mar. 5. Recentiores auctores totam rem ut fabulosam interpretari conati sunt, Chironis filiam Thetin fuisse; hanc a laetis convivis inter epulas deam patremque eius Nerea vocatum esse, ceterosque qui aderant deorum dearumque personas inter se divisisse, unde orta esset fabula de Pelei connubio cum Nereide Theti et de deorum conventu. Sic Dictys VI, 7; cf. Schol. Apollon. Rh. IV,

816, qui haec pluribus e Staphylo enarrat, et Actoris filiam a Chirone astronomiae perito inter tonitrua et fulgura, uti antea ad augendam rei famam praedixerat, domum Pelei deductam esse tradit, cf. Schol. Arist. Nubb. 1064. I. Malel. pag. 122. Aliter Schol. Pind. Pyth. III, 160, in Pelio monte apud Chironem Peleum Thetin duxisse dicit.

Si autem haec de nuptiis Pelei varietas est, quid mirum si neque in aliis rebus auctores consentiunt; quaestio iam olim exorta erat, num dici posset Thetin mansisse post concubitum apud Peleum; quae profecto antiquissima narratio esse non potuit, deam uxoris et matris familias partes sustinuisse. Heynius itaque, qui ad Il. α, 396 seriores demum inque iis primo loco Apollonium IV, 866 fabulatos esse dicit, Thetidem discessisse a Peleo, fallitur, neque, uti contendit, contrarium ex Iliadis π, 374 apparet; quo loco nihil nisi cura deae et studium pro filio carissimo declaratur, sicque omnes scriptores Thetin et Peleum Achillem ad bellum misisse dicunt. Rectius fortasse aliquis ex Iliade verss. 395 sqq. rhaps. α, huc allegaret; sed si Thetis diu cum Peleo vixisset, filii Achillis curam Phoenici (Il. ι, 488) non commisisset; neque urgendus est ille locus, sic enim rem sibi finxit poeta, saepius filium et Peleum a dea revisos esse. Euripides quoque (Androm. 1231 sqq.) ne innuit quidem, Thetin commoratam esse diutius in domo Pelei. Scholiastes Apollon. l. l. e Sophocle tradit, eam discessisse, quod conviciis lacerata ab ipso esset; Apollodorus autem hanc causam affert, quod Peleus eam, cum immortalitatem filio, ut Ceres Triptolemo in hymn. Cerer. pararet, turbavisset; cf. Schol. Il. π, 37; Schol. Pind. Pith. III, 187.

Qui autem diu mansisse apud Peleum Thetin narrabant, non unum Achillem sed complures praeterea

filios inde natos dixerunt: Schol. Hom. et Apoll. Rh. ll. ll. Quos ut immortales efficeret cum Thetis in ignem imponeret, quo quidquid in iis inesset mortale deleret, sex liberos eo modo necavit, septimum autem Achillem cum itidem in ignem iniiceret, conspicatus pater eripuit et Chironi educandum tradidit; haec ex carmine de Aegymio Schol. Apoll. affert, cf. Ptol. Heph. ap. Phot. pag. 251. Alii narrant, in pelvim ferventi aqua plenam infantes ab ea iniectos esse, ut videret, si mortales essent, et sic periisse, solum Achillem ereptum esse a patre. Tzetz. ad Lyc. 178. Hinc aliud fuisse Achilli nomen tradunt Pyrissoi, Tzetz. l. l. Ptol. Heph. pag. 253; aut Sigyri Apoll. I. 13, 6. Alii a Thetide filium Stygia aqua, ne vulnerari posset, tinctum esse tradunt; atque talum, quo puerum mater tenuisset, solum laedi potuisse; cf. Serv. ad Aen. VII, 57. Stat. Achill. I, 269. Huc quoque referenda sunt, quae de urbe Thetideo, quam Peleus condiderit, narrantur; Homerus enim Phthiae habitasse Peleum dicit; illam autem ab uxore nominatam dicunt, cf. Schol Pind. Nem. IV, 81; Sturz. fragm. Hellan. 110. pag. 146. Eurip. Androm. 20; e quo loco apparere videtur, sic dictum esse locum, ubi congressus erat cum Thetide Peleus et sacellum aliquod in honorem deae exstructum, cf. Herodot. l. l. Achilles deinde Chironi educandus traditus est, haec plurimorum certe fama est; cf. Eurip. Iph. A. 699. Philostr. Heroic. 681; Imm. II, 2. pag. 55 et interpp. pag. 408; Ovid. A. A. I, 11; Horat. Epod. XIII, 11. Valer. Flacc. Arg. I, 255 sqq. Hic Centaurus praestans omnibus scientia et iustitia Saturni filius, Schol. Pind. Pyth. III, 8. Tzetz. ad Lyc. 1200, qui multos alios heroes educasse fertur, puerum medulla leonum et ursorum enutrivit. Antiquae narrationis fragmentum

superesse videtur apud Apollonium, qui a nymphis traditum Chironi Achillem educatum esse narrat, digna ea profecto matre dea cura fuit. Adversatur huic narrationi pulcherrimus ille Homericorum carminum locus (Il, ι, 488), ubi Achillem a se educatum esse Phoenix narrat; itaque illud discriminis inter Homericam et aliorum auctorum narrationem interesse statuunt veteres grammatici, secundum Homerum eum a Chirone medicinam modo doctum esse, (Il. λ, 832) et Aesculapii condiscupulum fuisse, secundum seriores autem a puero omnino educatum, cf. Schol. Pind. Nem. III, 75; Il. α, 50; Apoll. Rh. I, 558; IV, 813.

Duplex autem sors Achillis erat, ut aut cita morte clarus et celeber prae ceteris omnibus occideret, aut placida pace quietus atque securus longam vitam viveret; Il. ι, 411; α, 352; 416. Lucian. Dial. Mort. 15; 16. Thetis itaque filium, quem vitae eius *timens* contra Troiam militare nolebat, octo annos natum Scyrum detulit, insulam prope Euboeam, quam Dolopes habitabant, ad Lycomedem regem atque inter filias eius abscondidit. Ubi cum lateret, Graeci oraculo moniti Troiam sine eo expugnari non posse, legatos Scyrum miserunt Ulyssem et Palamedem, qui muliebri veste amictum iuvenem dolo detexit et ad belli societatem permovit. Fuit hoc argumentum tragoediae Sophoclis; cf. fragmm. ed. Bothe. pag. 77; Hyg. 96; Propert. II, 7, 54. Horat. Od. I, 8. Ovid. A. A, I, 681. Schol. et Eustath. ad Il. α, 131; 59; τ, 326; Tzetz. ad Lyc. 276; Chiliadd. IV, hist. 16. Sed filiam regis Deidamiam Achilles ibi compresserat, quae dein filium ipsi genuit Neoptolemum. Est ea quidem vulgatissima fama, sed non antiqua poetarum epicorum narratio; Homerus enim longe alia narrat. Nestorem et Ulyssem ad Peleum ipsum legatos missos esse ab Atridis, ut Achillis auxilium ad bellum

peterent; Il. ι, 668; quem venisse admodum iuvenem neque, belli peritum neque in concione versatum, ib. vs. 440; ideoque Phoenicem ipsi iuventutis rectorem et monitorem additum esse. Nescio an inde originem traxerint, quae de monitoribus aliis quoque ducibus datis leguntur apud Ptol. Heph. pag. 244: Myciscum Cephallenium Ulyssi, Eudorum Patroclo, Achilli Mnemonem, Hectori Daretem, Dardanum Protesilao, Chalconem Antilocho affuisse dicit. Scyrum autem Homerus vastatam esse ab Achille tradit, Il. ι, 668; et filium Neoptolemum ibi vivere narratur Il τ, 330 sqq. Ut rem expedirent, veteres grammatici eam quam devastasse Achilles dicitur Scyrum, aliam quandam civitatem Troiae esse voluerunt, cf. intpp. ad l. l. Il. ι, et Eustath. ad Dion. Perieg. Item dicunt eam vastatam esse iussu Pelei, a quo defecisset, aut quod belli adversus Troianos socius esse Lycomedes noluisset, aut cum Graeci post infelicem priorem illam contra Mysiam expeditionem domum redirent, factum id esse narrant auctoritatem sequentes parvae Iliadis, cf. praeter ll. ll. Eust. ad Il. α, 59; captaque urbe regis Lycomedis filiam ab eo compressam esse et patrem cum filia in regno ob eam gratiam remansisse. Alii ut Philostratus Heroic. pag. 704 Achillem adversus Lycomedem missum esse dixerunt, ut Theseum ulcisceretur. Hic enim cum Scyrum venisset, a rege, qui eum aut regno et uxori suae insidiari suspicabatur, aut gloriam, qua cives eum celebrabant, ipsi invidebat e saxo praecipitatus erat; Achilles itaque urbem cepit, regem tamen non interfecit, sed uxorem duxit eius filiam, cf. Suid. s. v. ἀρχὴ σκύρια. Paus. I, 17, 6. Lycophr. 183 et Tzetz. ad h. l. Mirum si non aliter quoque mors ea Thesei narrata fuit, Lycomedes enim filius Enyis erat, quem ex Ariadne Bacchus genuisse dicitur; poterat itaque ob desertam avam irasci Theseo

Lycomedes. Una superest narratio, quae apud seriores tantum scriptores legitur, Achillem recenti cum Deidamia iunctum connubio amore uxoris captum divelli ab ea haud facile potuisse, et a missis legatis vix perductum esse; aut timuisse eum Hectorem, de cuius fortitudine fama percrebuerat; cf. Tzetz. ad Lyc. 276 Ioann. Malel. p. 122. — Duos filios ab Achille e Deidamia genitos esse Onirum et Neoptolemum tradit Ptolem. Hephaest. pag. 246. lin. 29. — Achillem cum Nestore et Patroclo statim ante alios in Troianos missos esse narrat Ioann. Mal. l. l. — Dictys Cretensis non consentit cum Homero, sed I, 14 Achillem iam tum studio rerum bellicarum virtuteque et gloria omnes superasse dicit; in iis autem quae de moribus eius dicit, Horatii versus notissimos ab eo expressos esse dicas. Hyginus non Achillem solum cum sexaginta navibus venisse dicit, sed addit Automedontem Scyro cum decem, Patroclum Phthia cum decem et Phoenicem cum quinquaginta navibus. De his quoque verbo agamus; Phoenicis fata Homerica carmina narrant Il. ι, 448 sqq. cf. Tzetz. ad Lyc. 431. Apollod. III, 13, 6; ubi de Patroclo quoque sermo fit; quem aurigandi artem a Neptuno doctum esse tradit Ptol. Heph. pag. 244; quae de amore Achillis in eum haud satis casto dicuntur, secutis post Homerum poetis originem debent. Automedon fuit auriga Achillis, Patrocli amicus, cf. Il. π, 135; ι, 209. Dolopes Phoenicis milites fuisse dicit Eust. ad Il. β, 684; Neoptolemi Servius ad Aen. II, 7; Achillis Virgilius II, 7, 29; 415; 785. Achilles ipse saepissime a serioribus Pelasgus dicitur, cf. Lyc. 177; 245.

CAPUT VIII.

DE PALAMEDE.

Tanta fuit apud poetas, qui Homerum secuti sunt, Palamedis fama atque gloria, ut cur ne verbo quidem eius mentio fiat in illius carminibus, mirum merito videatur. Clarus ille imprimis habebatur propter prudentiam et scientiam singularem, propter iustitiam et aequitatem animi admirandam. Haec quoque causa esse videtur, cur tragici poetae e narrationibus de rebus ab ipso gestis tot dramatum argumenta sibi sumserint, cf. de Sophocle fragmm. ed. Both. pag. 60 sq; de Euripide Valken. Diatr. pag. 127; de Aeschylo Schütz. tom. V, pag. 114. sq. Quod in Homericis carminibus nusquam commemoretur, causam afferunt, praecavisse Homerum, ne Ulyssis laudes minueret. Philostr. vit. Apoll. Thy. IV, 5; Heroic. p. 703. Strabo autem (VIII, pag. 266, B.) totam fabulam a posterioribus poetis post Homeri tempora fictam esse contendit, adductus ad id ut videtur temporis et genealogiae ratione. Scilicet Neptunum generis auctorem tradunt; is genuit ex Amymone Danai filia Nauplium; hunc fuerunt qui longissimam vitam vixisse dicerent et tandem ex uxore Clymene (cf. supra cap. I) aut ex Hesiona, uti Cercops tradiderat, aut ex Philyra, uti in carminibus, quae *νόστοι* dicebantur, narratum fuerat, filios genuisse Palamedem et Oeacem, quibus tertium addit Apollodorus Nausimedontem. Apollod. II, 1, 5 §. 13. cf. Pausan. II, 38, 2; IV, 35, 2. Hinc

ratiocinatur Strabo, quinam hicce Nauplius usque ad tempora belli Troiani vivere potuerit. Sed aliam genealogiam recenset Apollonius Rh. Argon. I, 133 sqq. Nauplius ille genuit Oroetum, unde Lernus, a quo Naubolus natus filium habuit Clytoneum patrem alterius Nauplii (cf. Schol. Eurip. Or. 54), cuius filii Palamedes et Oeax dicuntur et Damastor aliquis, cf. Schol. Apoll. Rh. IV, 1091. et Sturz. fragm. Pherec. 2. pag. 72 sqq. A matre Amymone Palamedes Belides dicitur apud Virg. Aen. II, 82; ubi nulla opus est emendatione. Hanc autem totam narrationem singulare aliquid in se habere, quod aut propriam eam fuisse incolarum loci cuiusdam aut originem eius non antiquissimam indicet eo magis credere lubeat, si quae ceterum de Amymone traduntur (cf. Schol. Eurip. ad Phoen. 186; 188) reputaveris, et nomina omnia illa maiorum Palamedis allegoricam habere significationem cogitaveris; de qua narratione autem certius aliquid definire non audeo.

Palamedes itaque primum, ut iam supra suis locis commemorabam, Menelaum post acceptum de rapta Helena nuntium consolatus est et consternatum erexit, tum in legatis fuit, qui Troiam missi sunt; reversus deinde per Graeciam delectum egit militum (Serv. ad Aen. II, 81), Ulyssis simulatam insaniam atque Achillem in muliebri ornatu absconditum detexit; cf. praeter locos supra ll. Ovid. Met. XIII, 36, Pacuv. ap. Cic. III off. 26; Hyg. 105. Cum Agamemnon rex creatus esset, ipse cum Diomede et Ulysse campestri exercitui praepositus est, ut inter se diurnas vigiliarumque vices dispertirent, Dict. I, 16; ad Cinyram adeo Cyprum missus dicitur, ut eum ad belli societatem adduceret; Eustath. ad Il. λ, 20 sqq. Paus. I, 3, 2. Sed maxima eius extitere deinceps in congregatum Graecorum exercitum beneficia. Ingenii

enim sollertia invenit rerum mensuras et libram; Plin. Hist. N. VII, 57; Eust. ad Il. β, 308. Paus. X, 31, 1; tempora deinde disposuit edendi et laborandi et vigilias ordinavit, Schol. Eurip. Orest. 422. Matth.; tesseras, pessulos aliaque ludendi et oblectationum genera invenit, litteras quoque, cf. praeter auctt. ll. Lucian Iud. voc. 5, et quos ibi laudant interpretes, Wolf. proll. pag. LI; Eustathius l. l. e Sophocle sua se hausisse dicit; pestilentia deinde Graecos liberavit famemque depulit, Tzetz. Antehom. 325. Schol. Eur. Orest. 422; et Philostratus Heroic. pag. 682, qui prae ceteris legendus est et cuncta exhibet. Postquam Troiam appulerant, ipse cum Achille plurimas urbes expugnavit; Philostr. l. l. et Vit. Ap. Th. IV, 5, p. 173; Ioann. Malel. pag. 128. Suidas s. v. Παλαμήδης et Τάβλα; auctt. ll. Epipolam quoque Trachionis filiam, quae virili habitu castra Graecorum sequebatur, agnovit, quam Graeci lapidibus obruerunt, Hephaest. pag. 250. Nunquam praeterea iratus fuit, sed semper placidus et mitis, indefessus in labore pro salute Graecorum. Tzetz. Chil. III, 177. Ipse cum fratre Oeace in una cymba Troiam traiecit, Philostr. Heroic. pag. 690 D.

Triplex de eius morte fama est. Gloria et amor, quo eum Graeci complectebantur, invidiam aliorum movit, inprimis Agamemno timebat, ne abrogato sibi imperio Palamedes rex crearetur, quem creatum adeo fuisse Ptolomaeus Heph. tradit pag. 250. cf. cap. seq. Ipsum adeo oraculum Apollinis confirmaverat auctoritatem Palamedis, per eum enim sacrificium Apollini Sminthio exhiberi iusserat; quibus omnibus uti populi in eum amor augebatur, ita inimicorum animi exacerbati sunt. Prae aliis Ulysses, qui victum se ingenio Palamedis et dolum, quo effugere militiam studuerat, detectum esse aegerrime ferebat, cum d...

locum insidiis quaesivisset, tandem falsis litteris et auri pondere clam in eius tentorio defosso prodere eum rem Danaam (Ovid. Met XIII, 56) finxit, et his suis machinationibus utebatur, ut indiciis negantem tale inceptum Palamedem convincere posset. Deceptus itaque exercitus lapidibus virum egregie de se meritum obruit. Ita Hyginus f. 105 rem narrat; cf. Philostr. l. l. pag. 656; Schol. Eurip. l. l. Tzetz. ad Lyc. 384; Antehom. 363 sqq.; Virg. Aen. II, 81 et Serv. ad eum l. Pausanias autem (X, 31, 2) e Cypriis carminibus eum tradit ab Ulysse et Diomede cum piscaretur aquis esse submersum; excerpta e Proclo brevi rem tangunt. Dictys II, 15 eum a Diomede et Ulysse occisum dicit, qui simulato se thesaurum in puteo aliquo invenisse cum nihil de insidiis metuens Palamedes, ut ad tollendum eum descenderet, persuasus facile esset, desuper eum lapidibus obruerunt; prope itaque ad Hygini, qui tragicos exscripsit, narrationem accedit. In eo omnes conveniunt, dolo Ulyssis eum innocentem necatum esse; cf. Quint. Sm. V, 198; Xenoph. Memor. Socr. IV, 2; Tryphiod. 272.

Agamemnon, uti Philostratus narrat pag. 688, edixit, ne quis necatum sepeliret, sed Aiax non ferens iniuriam humeris sublatum corpus stricto ense armatus per medium exercitum tulit et honeste sepelivit, tantaque in Agamemnonem et Graecos ira exarsit, ut neque in consilium veniret neque in bello suis adesset; sed postea facilius miseratione suorum adductus ira destitit, quam Achilles. Sepultum eum in Lepetymno monte Methymnae dicit Tzetzes ad Lycophr. 1098. Oeax autem structas fratri insidias et necem eius in fractis remis inscripsit, quos in mare iniecit, ut patri rem omnem eo modo nuntiaret. Nauplius itaque advenit et a Graecis poenas commissi sceleris expostulavit; cf. quae infra cap. XIX dicentur. Non

adeo multum a vero aberrare videtur, qui totam narrationem cum fabulis de reditu Graecorum mire congestis cohaerere iudicaverit.

CAPUT IX.

DE SACRIFICIO IPHIGENIAE.

Cum omnia ad bellum necessaria studiose apparassent, cuncti duces Aulida convenerunt, ut inde classem solverent et Troiam navigarent. Sed antea sollenni sacrificio deos et ventos propitios atque secundos sibi exorabant, in quo sacrificio portentum *illud* de angue, qui novem passeres pullos et matrem devoravit, accidit. Haec antiqua Homericorum carminum narratio est, Il. *β,* 300 sqq; ipse enim Homerus neque nomen neque sacrificium Iphigeniae noverat; cf. Schol. Il. *α,* 106; 108; *ι,* 145; Herm. ad Sophocl. Electr. 157. Cum autem a poetis posterioris aetatis bis Graeci Aulida convenisse dicantur, quando, primo an secundo conventu Iphigenia immolata sit, dissentiunt; secundo conventu id factum esse Cypria carmina tradiderant, vid. Procl. Sic autem res narratur. In ipsa itineris festinatione Agamemnon in venatione cervam transfixit et ita ne Dianam quidem ipsam iaculari gloriabatur; quo superbo verbo dea irata tempestatem ventumque adversum Graecis immisit et pestilentiam; cf. Hyg. 98; Schol. Eurip. ad Or. 647; Tzetz. ad Lycophr. 183; Propert. IV, 1, 109. Alii cervam sacram in luco Dianae ab Agamemnone re-

ligionis eius loci ignaro necatam esse dicunt, hancque fuisse causam irae Dianae, Dict. I, 19; Serv. ad Aen. II, 116; Hyg. fab. 261; Schol. ad Il. α, 107. Alii cum tempestate detineretur exercitus, vates edixisse tradunt, ad placandam iram deorum opus esse, ut Iphigenia immolaretur, Anton. Lib. 27. Cicero Off. III, 25, Euripidem Iphig. Taur. 20 secutus, Agamemnonem vovisse tradit se quod eo anno pulcherrimum natum esset immolaturum esse, et ita Iphigeniam mactatam esse. Mulierem alii, ut Dictys, iram Dianae effatam esse tradunt; plurimi Calchanti id vaticinium tribuunt, ut Cypria carmina, Propertius, Servius, Ovidius, Hyginus; qui tamen fab. 269 oracula consulta esse dicit; et oraculum Delphicum expresse nominat Schol. Eurip. Orest. 647; Tzetz. ad Lyc. 183. Sed Agamemnon noluit filiam pro communi salute immolare, ceteri autem duces imprimis Menelaus acrius insistebant, eum, ni id faceret, regio honore spoliare minabantur, et Palamedem pro eo regem adeo creatum esse tradit Ptol. Heph. pag. 250; tandem aut Menelai dolo aut Ulyssis fraude circumventa Clytaemnestra falsis nuntiis, quasi Achilli uxor desponsata esset filia, Aulida eam adduxit; Procl. e carm. Cypr.; Eurip. Androm. 615. cf. Iph. Aul.; aut Ulysses et Diomedes missi sunt ad eam adducendam. Hyg. 98; cf. 269. cf. Serv. ad Aen. II, 116; Tzetz. ad Lyc. 188; Ulysses solus adduxisse eam dicitur; Dict. I, 20. Agamemnonem alii consilii eius participem fuisse tradunt, et tandem multis omnium precibus vix commotum consensisse in mortem filiae; Ovid. Met. XIII, 185 sequutus Euripidem, cf. Hyg. 108; Schol. Eurip. 647, Soph. Electr. 566. Longi sunt in describendo Agamemnonis dolore Tzetz. Anteh. 198; Ioann. Mal. p. 128.

Il. ι, 145; Schol. Eurip. Or. 23, 71; qui ad v. 23 Sophoclem quatuor Agamemnonis filias finxisse dicit seiungentem Iphigeniam ab Iphianassa, quas unam eandemque esse ait, quae sententia nobis quoque placet, ea enim nomina, quae idem significant, commutantur, qualia sunt Iphigenia et Iphianassa. Alteram Agamemnonis poenam tangit Propertius, dum dicit: S u n t A g a m e m n o n i a s t e s t a n t i a l i t t o r a c u r a s, q u a e n o t a n t A r g y n i p o e n a n a t a n t i s a q u a. H o c i u v e n e a m i s s o c l a s s e m n o n s o l v i t A t r i d e s, p r o q u a m a c t a t a e s t I p h i g e n i a m o r a. Brouckhusius ibi rem non satis expedit (III, 5, 51). Nomen apud Steph. Byz. s. v. ἄργεννος scribitur cum duplici ν, Argynnus apud Athen. XIII, 80 (pag. 604 D.). Fuit hic iuvenis formosus, cuius amore Agamemno, cum eum natantem in Cephisso conspexisset, captus est. Hic autem in Cephisso in quo lavari consueverat interiit.

Aliae quoque fabulae ad hanc Graecorum *apud* Aulida commorationem annectebantur, ut quae de Teuthide Arcadum rege Pausanias l. l., quae de Poemandro affert Plutarchus (Quaestt. Gr. 37), quem Graeci, quia expeditioni contra Troianos interesse noluisset, vi armorum cogere voluisse dicebantur.

Cum deinde Aulida relinquerent Graeci, Anium cum filiabus cuncta, quae ad victum necessaria essent, suppeditasse tradit Dictys I extr.; quod, si Tzetzae ad Lyc. 570 fides haberi potest, iam Cypria carmina narrabant, quanquam in Procli excerptis ne verbo quidem ea res memoratur. Fuit Anius ille filius Apollinis ex Rhoeo, Staphyli et Chrysothemidis filia, quae etiam Aesonis uxor dicebatur, Tzetz. Chiliadd. VI, 980; alii autem matrem eius Creusam nominant, cf. Conon. narr. 41; Palaephatus eum propinquum esse Anchisae dixerat, cf. Serv. ad Aen. III, 80, item fortasse, ut Sturzius nomine illius Rhoeus deceptus; Zarecis filium dicit

Tzetzes ad v. 580; amicus autem Anchisae fuisse dicitur a Virgilio, qui ad eum in itinere illo in Graeciam ante bellum Troianum una cum Priamo suscepto venerat, cf. supra cap. II, hoc quoque Servius ad Virg. l. l. innuit, cuius verba tamen sana non sunt et mire contaminata. Apollinis in insula Delo sacerdos erat Anius, quo cum Troiam proficiscentes Graeci appulissent, cunctos hospitio excepit et per decem belli annos se una cum filiabus pro universo exercitu cuncta victus necessaria suppeditaturum esse promisit, Eust. ad Il. λ, 20. Erant enim tres eius filiae, Oeno, Spermo, Elais, Oenotropae uno nomine dictae, quibus Bacchus concesserat, ut quidquid attigissent, in fruges verteretur; Serv. l. l.; et Ovid. Met. XIII, 652, sqq.; suadebat autem Achivis, ut cum in fatis esset decimo demum anno Troiam expugnari posse, quieti apud ipsum id tempus transigerent, cf. Eustath. l. l. Sed ab Agamemnone illas filias Troiam abductas esse alii narraverunt, Diod. V, pag. 381 Ovid. l. l.; a Palamede eas advectas esse, cum exercitus fame laboraret, Tzetzes tradit ad Lycophr. 581; sed, cum aegre vim eam ferrent, avolaverunt, et Baccho miserante in columbas mutatae sunt, cf. Ovid. Diod. Con. ll. ll. Steph. Byz. s. v. Ἄνδρος. Huius quoque scriptoris verba ut Servii, mire corrupta sunt; facilis vero est emendatio, si locos aliorum quos laudavi, comparavaris, sic enim lege: ἐκλήθη ἀπὸ Ἄνδρου τοῦ Εὐρυμάχου ἢ τοῦ Ἀνίου πατρὸς τῶν Οἰνοτροπῶν, τινὲς δέ φασιν Ἀνδριέα τοῦτον εἶναι Ἀνίου παῖδα. Suidas s. v. ταυρόπολον narrat, Graecis ut feliciter navigarent, taurum ab Anio datum esse, qui iis indicaret, ubi templum Minervae constituerent; vatis partes Anio Virgilius quoque et Ovidius tribuunt.

CAPUT X.

GRAECORUM ADVENTUS IN MYSIAM, TELEPHUS.

Versum Iliadis (*α*, 59) Scholia et Eustathius ad eum locum fundum praebuisse dicunt illius narrationis, qua Graeci, cum Troiam proficisci vellent neque itineris gnari essent, Mysiam, quo errantes appulissent, pro Troia habentes hostiliter incurrisse et cum Telepho pugnasse dicuntur. Equidem verbi illius quo Homerus usus est non eam vim esse arbitror, ut iterum eodem modo domum errantes vagari significet, sed simpliciter domum revehi navibus, neque ergo iis assentire possum, qui eo ipso verbo hanc narrationem ab Homero innui censuerunt. Antiquissimus narrationis ordo certo is fuit, Graecos Troiam errantes ad complures locos vel ventis iactatos vel praedandi causa inque iis ad Mysiam appulisse, nam sacrificio Iphigeniae ventum secundum exoratum esse antiquissimam famam non fuisse supra commemoravi. Errore autem eo appulsos esse Graecos tradiderant Cypria carmina, cf. Procl.; Pausan. I, 4, 6; Srab. I, p. 19; Interpp. Il. *α*, l. l.; Dictys autem II, 1 ventis Graecos eo delatos narrat; cumque positi a rege Telepho custodes egredi Achivos e navibus prohibuissent certamen, primo, mox adventu plurium et regis ipsius acrem pugnam exortam esse. Alio modo Tzetzes Antehom. vs. 246 sqq. rem explicat vix credo antiquum auctorem sequutus, Graecos cum Achille duce alias circa Troiam urbes et regiones depopulati essent, Mysiam quoque

invasisse. Evitat itaque Philostrati risum et iocos, qui (Heroic. pag. 659) quaerit, quomodo Graeci errantes Mysiam pro Troia habuisse dici possint, cum iam antea legati ab iis missi fuissent ad repetendam Helenam; sed eos legatos ex insula Tenedo altero itinere missos esse carmina Cypria narraverant; quae igitur in his fabulis inest confusio, ab insecutis deinceps poetis exorta est. Legi de tota re merentur Pindar. Olymp. IX, 105 sqq. cum Schol.; Strabo XIII, pag. 915; Philostr. Heroic. pag. 659 sqq; Suid. s. v. *Τήλεφος ἐκ Πηριδίου*; a tragicis quoque poetis eam tractatam esse declarat Hygin. fab. 99, 100, 101; Valk. Diatr. in Eurip. rel. pag. 218.

Regio autem ea Teuthrania quoque dicebatur, a Teuthrante rege; tunc autem ibi imperabat Telephus, Herculis ex Auge Alei filia filius, Paus. VIII, 4, 3 et 9; Apollod II, 7, 4. Eam pater cistae inclusam in mare cum infante proiici iussit, sicque ad Teuthrantem in Mysiam venit, qui Augen uxorem duxit: ita narrat Pausanias rem ex Hecataeo, cf. Creuzer fragmm. Hist. ant. pag. 49; Strabo ex Euripide; Diod. Sic. IV, pag. 278. Hyg. ll. ll. Apollodorus autem l. l eam a Nauplio venumdatam Teuthranti dicit; alii deinde Telephum Teuthranti ex Auge filium genitum esse tradiderunt, cf. Steph. Byz. s. v. *Τευθράνια*. A cerva eum nutritum esse legitur apud Lucian. de sacrif. 5. Uxorem ei tribuunt multi Priami filiam, quam Astyochen nominat Dict. l. l.; Laodicen Apollodorus III, 12, 10; Astyochen Laomedontis filiam dicunt Servius ad Ecl. VI, 72; Tzetzes ad Lyc. 921; 1075. Hygin. f. Diodorus autem ei uxorem tribuit Argiopen Teuthrantis filiam, Tzetzes ad Lyc. 1249 et Philostrat. ll. ll. Hieram quandam exhibent; filius eius erat Eurypylus, de quo infra sermo erit.

Contra hunc Telephum igitur Graeci pugnaverunt, quod bellum accurate prae ceteris narrat Philostratus l. l., et quidem ab initio statim id consilium cepisse Graecos; et Telephum cum a fratre Tlepolemo Herculis filio eius rei certior factus esset; multarum gentium auxilia inde e Scythia et ab Istro flumine usque contraxisse, sicque Graecis cum appulissent obviam copias eduxisse. In iis autem praeter Telephum excellebant Aemus Martis filius et Istri fluvii filii Helorus et Actaeus; hos quidem Aiax, illum Palamedes cum Diomede et Sthenelo interfecit; Telepho scutum detraxit Protesilaus, quem tunc ab Achille vulneratum socii e caede abstulerunt. Quin adeo mulieres equis vectae duce Hiera regina confligere ausae sunt cum Graecis, quarum plurimae, postquam Nireus reginam interfecerat, in paludibus eius regionis perierunt. Haec quidem Philostratus, qui carmina poetae alicuius de Mysiacis rebus, *quod* ex ipsius verbis apparere videtur, in ea narratione secutus est, cf. idem in vit. Apoll. Thyan. IV, 18 pag. 318. In eo omnes consentiunt, Telephum vulneratum esse ab Achille, sed alii aliter narrant; cum Ulyssem obstinate inter vineas persequeretur, factum id dicit Dictys II, 3; Pindar. Isthm. V, 51; quam antiquam Cypriorum carminum narrationem fuisse arbitror; cf. Schol. ad eum locum et ad v. 110 sq.; Quint. Sm. IV, 152; Ovid. Met. XIII, 171; Tzetz. ad Lyc. 206, 211; Suid. l. l.; sed Scholiasta Iliadis ad *α*, 59 prae timore Achillis fugientem Telephum vite impeditum lapsum et vulneratum dicit, quod minime congruit cum laudibus quibus ceteri poetae virtutem eius celebrant; occisum ab eo Thersandrum post Cypria carmina memorat Dictys l. l.; cf. Pind. Ol. II, 76; et Schol. ad h. l. et v. 82; Pindarus Ol. IX, 105 Graecis ad naves a Telepho compulsis solum Achillem cum

Patroclo ei restitisse; Tzetzes ad Lyc. 206 autem Graecos adeo ut in Boeotiam redirent ab eo coactos esse tradit. Dictys etiam fratris Telephi Teutranii meminit, quem Aiax in ea pugna occidisset; Thersandrum in iis qui in equum ascendissent recenset. Cruentam autem eam pugnam et atrocem traditam esse apertis verbis Philostratus et Dictys demonstrant et frequens aliorum fama declarat.

Post eam pugnam Dictys narrat, Herculis filium et nepotes, qui in exercitu Graecorum erant, confisos generis affinitate ad Telephum venisse, causam belli sociosque ei enarrasse, ipsumque ut se cum Atridis coniungeret, hortatos esse. Sed Telephus belli societatem, quia gener Priami esset, recusavit, Graecos autem omnes ad se deduxit et hospitio laute excepit; cumque ventus adversus flaret, edocuit eos, nunc non esse itineris in Troiam tempus sed initium veris expectare eos iussit, cui consilio Graeci obtemperantes domum reversi sunt. Nunc Iphigeniam immolatam esse, Cypria carmina narrabant, Dictys autem discordias primo inter Menelaum et Agamemnonem, tum inter hunc et Achillem incidisse narrat, qui ab Ulysse in gratiam reducti sunt. Simul Aiax, Diomedes et Achilles allato per Scythas nuntio, Troianos expeditionem in Graeciam parare, summo opere profectionem maturabant, et Scythas duces itineris delegerant, cum Telephus advenit monitus oraculo, quod vulnus eius fortasse propter iram Bacchi, quem pugna in vinea commissa offenderat, cf. Schol. Il. α, 59, nonnisi ab eo qui illud inflixisset sanari posse edixerat. Achilles Chironis discipulus itaque cum Machaone et Podalirio medicinam vulneri adhibentes eum sanaverunt. Haec res inprimis tragicorum carminibus celebrata fuit, tres Graecae tragoediae principes in eodem argumento versati sunt, et Telephi titulo fa-

bulas ediderunt; cf. Tib. Hemst. ad Luc. Nigr. extr. et scriptores ab eo laudatos, Access. ad Ulp. p. 1167; Schol. Theocr. 14, 25. Plut. *περὶ τοῦ ἀκούειν* pag. 47. Hyginus fab. 101 e tragoedia tali tradit, Telephum Orestem e cuneis rapuisse et se eum occisurum minatum esse, nisi sibi auxilium ferretur. Recentiores eadem hasta qua inflictum erat vulnus sanatum quoque narrant, Ovid. Met. XII, 112; Remed. Am. I, 47; Am. II, 9, 7; Trist V, 2, 15; Ep. e Pont. II, 2, 6; Prop. II, 1, 65. Horat. Epod. XVII, 5. Epigrammata multa in hanc rem extare iam monuit Valkenarius Diatr. in Eur. tr. rel. pag. 218. Pingi Achillem gladio e cuspide hastae aeruginem in Telephi vulnus decutientem legitur ap. Plin. H. N. XXV, 19; XXXIV, 45; quanquam alii medicinam ab Achille inventam esse dixerant. Pro praemio equos Achilli a Telepho donatos esse memorat Quintus Sm. IV, 174. — Duas fabulas Dictys commiscet, Scythas duxisse Graecos in Troiam, unde eo ad Graecos Telephum venisse, ut salutem quaereret, tradit Philostratus Her. p. 663; et item Telephum ducem iis extitisse refert II, 10. Homerica carmina Calchantis vaticiniis Graecos viam invenisse tradere notum est, Tzetzes autem ad Lyc. 57 ab Oenone uxore Paridis ante raptam Helenam, filium Corythum Aulida ad Graecos missum esse narrat, ut eos Troiam duceret.

Multis itaque sacris factis navigabant ut Dictys ait recto itinere in terram Troianorum, secundum Cypria carmina tamen ante Tenedum appellebant, ibique cum laeti convivium agerent, Philoctetes a serpente morsus est, et Achilles, quod postremus ad id convivium invitatus esset, rixabatur cum Agamemnone, inde quoque legati Troiam ad repetendam Helenam missi sunt.

CAPUT XI.

GRAECORUM ADVENTUS, CIVITATES CIRCA TROIAM EXPUGNATAE.

Advenientes Graeci statim obviam habuerunt Sarpedonem, qui Priamo frequentibus nuntiis accitus auxilio properabat; cum eo Troiani, qui ex urbe eruperant, arma coniungunt et hostes ne egrederentur e navibus prohibere student. Acris inde exorta pugna, in qua Protesilaus e Graecis, duo Priami filii e Troianis occisi sunt, usque dum Aiax et Achilles potissimum propulsatis hostibus liberum et expeditum egressum suis fecere. Haec Dictys II, 11 tradit. Idem I, 18 Sarpedonem neque precibus neque praemiis neque gratia Sidoniorum regis Phalidis commoveri potuisse dicit, ut Graecorum contra Troiam militiam sequeretur; quem non ut Homerus Il. ζ, 199 Iovis et Laodamiae sed Xanthi et Laodamiae filium nominat, cum alii multi auctores dissentientes item ab Homero matrem eius Europam perhibent, ut Scholiasta Il. ad ε, 631; μ, 292 ex Hesiodo et Bacchylide, Strabo XIII, pag. 858 B. ex Ephoro affert, cf. Herodot. I, 173; IV, 45; Tzetz. ad Lycophr. 1293; Schol. ad Apoll. Rh. I, 185. Quod si quis quaesierit, quomodo is Europae filius durare ad Troica tempora potuerit, ei respondetur fabula, concessum fuisse a Iove Sarpedoni, ut per tres generationes viveret, ut Apollodorus ait III, 1, 2. § 3, aut per sex, ut Scholiastes Il. ad ζ, 199, quo loco ἔσχεν legendum est, nisi

idem beneficium in Idomeneum collatum esse alia narratione tradebatur. Diodorus V, pag. 395 eum Sarpedonem, qui cum Agamemnone Troiam oppugnavisset, filium Euandri et illius Iove geniti nepotem fuisse dicit. In Lyciam Europam quoque venisse narrat Herodotus l. l. cum Cretensibus illis, qui eo emigraverunt, ut videtur, et Sarpedon multas urbes condidisse fertur Miletum et alias, cf. Strab. XIV. pag. 951. Quod Dictys eum Xanthi filium dicit, desumtum est ex versu Iliadis β, 877. — Subit mirari, qui factum sit, ut res Troianae ita similes et pares dicerentur rebus Graecorum, sic ut nunc quoque Nestori aetate aeque provectus opponitur Sarpedon; quas fabulas equidem logographis illis Asiae minoris incolis originem suam debere et inde in tragicorum carmina emanasse arbitror.

Protesilaum, cum in fatis esset, ut qui primus Graecorum e navi in terram hostium desiluisset *occideretur*, generose se pro salute exercitus obtulisse, nota fabula est. Quis ille fuerit, qui eum interfecit, Homerus non docet, plerique Hectorem dicunt, Stasinus in Procl. exc. Tzetzes ad Lyc. 530 e Sophocle et e Demetrio Scepsio eadem affert, cf. ad vs. 245; 528; Lucian. Dial. mort. 19; 23; Hyg. fab. 103; Ovid. Met. XII, 67; Philostrat. Heroic. pag. 638. B; Quint. Sm. I, 817; I. Mal. pag. 124; Eustathius ad Il. l. l. a Palaephato Aenean, ab aliis Hectorem ab aliis Euphorbum nominari tradit. Protesilai turris et delubrum fuit in Chersoneso, Plin. H. N. IV, 18. pag. 107. Dissentiunt quae de hac pugna narrantur ab iis, quae Homerus tradit, Achille pugnante Hectorem nonnisi ad portam Scaeam processisse, Il. ι, 345; o, 772.

Fugatis itaque Troianis Graeci castra ponunt, ita ut medium Ulysses, Aiax et Achilles confisi viribus et fortitudine cornua tenerent; Il. ϑ, 224; λ, 7; quos

Dictys II, 12 omnium consensu in tutelam navium delectos eum locum tenuisse narrat. Cum deinde Protesilaum sepelirent, Cycnus, cuius regnum haud procul erat, subito Graecos invadit; erat ille Neptuni filius neque ferro corpus eius violari poterat. In Cypriis carminibus narrabatur, eum egredi cupientes hostes una cum Hectore prohibuisse; Scholiastes Pindari ad Ol. II, 147 eum cum Graecis in angusto ibi mari navibus conflixisse ait; Ovidius autem Metam. XII, 70, sqq; Quintus Sm. IV, 469 Cypria carmina sequuntur; per noctem eum advenisse tradunt Tzetzes Antehom. v. 257; Io. Mal. pag. 124. Ab Achille eum occisum et suffocatum esse constans omnium fama est; adde Diodor. V. pag. 398. Reliquas de eo fabulas lege apud Schol. et Eust. ad Il. *α*, 38 et Conon. narr. 21. Filius eius Tennes insulam Tenedum occupaverat eiectus a patre, quem calumnians filium noverca ad id facinus impulerat. Cum autem Graeci crebris hostium incursionibus anxii essent, consilio communi decretum est, ut omnes finitimas civitates oppugnarent, ita Dictys. Primo itaque Cycni regnum invaserunt; sedem eius Colonas fuisse Strabo XIII, pag. 882. A; 901, A; et Pausanias X, 14, 1 dicunt, Colonen Plinius Hist. Nat. V, 32, pag. 470; Dictys autem Mentorensium civitatem regni caput habitam esse tradit, Coronen autem aliam civitatem Mentorensibus illis subditam fuisse. In illo vitium inesse, et hoc in Colonen esse mutandum apparet. Quam Colonen cum in gratiam Maeandriorum, qui cum Graecis pacem fecissent et fidi iis permansissent, non expugnatam esse, pacem autem cum incolis eius civitatis, quae caput regni Cycni erat factam esse tradat, quae civitas *Νέαν ἄνδρος* appellatur ab Ioanne Mal. pag. 124; Neandrum a Cedreno, Neandros a Plinio, Neandria a Strabone XIII, pag. 901 et Stephano

Byz.: corruptum illud Mentorensium nomen muta et lege Neandriorum civitatem; quam itaque nullo resistente captam non tamen everterunt Graeci sed pepercerunt deprecantibus incolis, ut Dictys refert. Cycni filii Cobis et Corianus Graecis traditi sunt, ut Glauce quoque filia, quam dono Aiax accepit. Laodicen Cycni filiam Ulyssi dono datam esse memorat Scholiastes ad Il. *α*, 138; urbem a Diomede captam esse dicit Ioannes Mal. l. l.

Consilium illud Graecorum, vicinas circa Troiam civitates expugnandi si non cepisse at executos esse Graecos tradit Homerus Od. *γ*, 104 sqq.; duce Achille eos per mare vagatos esse praedandi causa ut piratas, et in iis erroribus insulas quoque *hostiliter* incursasse veri simillimum est; quod apte congruit cum ingenio et moribus Graecorum, quales describuntur Il. *ξ*, 85 sq. Lemnum in iis fuisse videri possit, nisi, quod magis placet, eo, cum Troiam navigarent appulisse eos statuendum est; cf. *ϑ*, 230; nam hanc insulam non vastatam esse patet ex Iliadis loco *φ*, 40 sqq: quo loco insula quasi emporium aliquod, quo praedam ut venderent Graeci advexissent, *notatur*. Itaque dubitari potest, num antiquissima narratio fuerit, Philoctetam, cum Tenedi, ut Cypriis carminibus tradebatur, morsus esset, Lemnum adductum esse, an relictum ibi, cum primum advenisset exercitus, quod dicit Homerus Il. *β*, 722. Nam simile sacrificium, ut Tenedi Cypria carmina, Homerus Lemni celebratum esse dicit Il. *ϑ*, 230, in quo Philoctetes a serpente ictus esset; Lemni id factum dicunt Hyginus fab. 102; Tzetzes Anteh. 297; Schol. Il. ad *β*, 722; Schol. Soph. ad Phil. 270, qui eum ibi relictum tradunt, ut a Vulcani sacerdotibus sanaretur: missum eum e Troia, ubi morsus esset, ad sacerdotes sanandum Dictys tradit, et dormientem expositum esse di-

cit Sophocles Phil. 272. cf. 4; Quint. Sm. V, 195; IX, 401, Tryphiod. 271. Auctor argumenti tragoediae Sophocleae eum Chrysae, quae insula haud longe a Lemno sita esse dicitur, morsum et postea Lemni expositum esse memorat, cf. Paus.. VIII, 33, 4, et quae de Euripidis Philocteta disputat Valkenarius Diatr. pag. 128. 131. Duplex praeterea est varietas, alteram exhibet Tzetzes ad Lycophr. 911, Philoctetam cum nymphae amanti morem gerere nollet, morsum esse, alteram Servius ad Aen. III, 402, vulneratum eum esse lapsa e pharetra sagitta, Graecos ei deinde sagittas rapuisse, ipsum Lemni relictum inde in Italiam navigasse; Philostratus Her. pag. 676 multos socios cum eo Lemni remansisse et eum cum Eunaeo Iasonis filio Cares ex insula eiecisse narrat, cuius societatis praemium partem Lemni accepisset. Haec de Philocteta nunc monenda videbantur.

Civitates autem, quas duce Achille Graeci expugnavissent, undecim, modo Eust. ad Il. β, 691, modo viginti tres fuisse dicuntur, Schol. ad Il. β, 117 et Eust., Tzetz. Antehom. 346; duodecim in continente undecim in insulis excisas esse tradunt Quintus Sm. XIV, 126; Philostr. vit. Ap. Th. III, 6, pag. 126. C. Dictys enumerat Cillam, Lesbum, Phyrum, Hierapolin, Lyrnessum, Pedasum; Thracum praeterea Chersonesum et Phrygiam ab Aiace devastatam esse ait; Eustathius l. l. enumerat Lyrnessum, Pedasum, Theben, Zeleam, Adrastiam, Petyam, Percopen, Arisben, Abydum; digni quoque sunt versus Senecae Troad. 219 sqq, qui huc adscribantur: „Cecidere Thebae, vi„dit Eetion capi sua regna victus; clade subversa est „pari imposita celso parva Lyrnesus iugo; captaque „tellus nobilis Briseide et causa litis regibus Chryse „iacet, et nota fama Tenedos et, quae pascuo foecunda „pingui Thracios nutrit greges, Syros, fretumque Le-

„sbos Aegaeum secans et sacra Phoebo Cilla", sic enim legendum est. Syros illud itidem corruptum est, aeque ac Phyrus, quod apud Dictym legitur, emendandum et scribendum Scyrus, cf. Schol. ad Il. ι, 669. Eas quas Eustathius recenset vide in Homerico catalogo Troianorum.

Cillam autem, quam civitatem memorant Il. α, 38, Strab. XIII, pag. 911; Plin. V, 32, ab Achille non devastatam esse neque Chrysam, quia a Minerva monitus fuisset, Apollinem cui sacrae erant, id non concessurum, referunt Homeri interpretes veteres. Lesbum direptam esse dicit Homerus Il. ι, 129; 664; Parthen. Erot. 21; Philostr. Heroic. p. 687. C; Ioann. Mal. p. 125. Phorbas ibi regnabat, quem interfectum et filiam eius Diomeden abductam tradunt; alii vero Lesbum non devastatam esse propter Iasonis affinitatem contendebant, cf. Demetrius Sceps. ap. Strab. I, pag. 76. Hierapolis sita fuisse dicitur inter Phrygiam et Lydiam; Strab. XII, p. 868. A; XIII, 933 B. Phyrum autem nemo novit, quanquam ea omnium codicum lectio esse dicitur; sed in editt. libris aliam inveni Pyrrham, quam Lesbi urbem Strabo XIII, 917; 918 novit, aut Cariae, p. XIV, p. 943; in sententia quam profitebar tamen permaneo. Lyrnessus, Cilicum oppidum, Strab. XIII, 877; Moesiae, Hyg. f. 121; civitas Phrygiae; Serv. ad Aen. X, 128. In ea urbe regnabat Mynes; ita in Iliade id nomen scriptum est, aliter apud Strabonem et Ioann. Mal., qui Menes, ille Menys exhibet, — is uxorem duxerat Hippodamiam Brisis filiam et inde Briseida dictam. Acri ibi proelio decertatum esse narrat Io. Malelas, cuius narrationis fundus haberi possunt loci Homerici Il. υ, 290; τ, 59. Hippodamiam Achilles capta urbe rege ipso occiso captivam abduxit, Il. β, 690; τ, 60; 290 sqq; Cypria carmina apud Schol. ad Il. π, 57. Hanc anti-

quam traditionem immutaverunt insecuti poetae, qui fabulas de Lyrneso, Pedaso, et Theba confuderunt; quam omnem varietatem, si Homericam prius narrationem designavimus, expediemus. Thebe illa Cilicum quoque urbs dicitur Il. ζ, 416; α, 366; noverunt eam geographi, a quibus ὑποπλακία nominatur; quanquam in Homericis carminibus (Il. ζ, 425) eo nomine alius praeter Thebam locus designari videtur. In ea regnabat Eetion, Andromachae pater, quem Achilles cum septem filiis occidit, uxorem autem captivam abduxit, quae postea redemta Thebae obiit, cf. l. Il. l; adde Quint. Sm. III, 545; IV, 153; eam civitatem primam ab Achille direptam esse narrat Schol. ad Il. α, 366. Hinc Chryseis Astynome abducta est. Pedasum Homerus Lelegum urbem fuisse refert Il. φ, 85; coniungit tamen cum Lyrnesso Il. υ, 92; regnabat ibi Altes, cuius filiam Priamus duxerat, cf. praeter l. Il. l. Srab. XIII, 875, adde Plin. H. N. l. l.

Ex Lyrnesso itaque Astynomen Chrysi filiam abductam esse ii qui ab Homero dissentiunt, tradunt, ut Dictys II, 17, qui eam Eetionis uxorem fuisse dicit; alii autem Thebae eam, quo ad sacrificium Dianae, ut Cypriis carminibus narrabatur, venerat, aut quo secundum alios, quia ea civitas munita erat, perfugerat, captam esse dicunt, cf. Schol. et Eustath. ad Il. α, 366; iterum alii Chrysam ab Achille expugnatam et inde puellam abductam esse tradebant, contra quos Eustathius l. l. disputat, neque enim Chrysam neque Cillam expugnatam esse. Theba autem et Lyrnessus iam ab Aeschylo commutatae sunt, cf. Schol. Eurip. ad Androm. 1. Aeschylus enim Andromachen Andraemonis filiam Lyrnessida dicebat, quia in agris Thebanis Lyrnessus et Chrysa sitae fuissent; sed eiusmodi immutationes apud tragicos observari monuerunt interpretes ad Sophocl. Electr. 3. Chry-

ses, Astynomes pater, urbem Chrysen tenuisse dicitur et Ardyis cuiusdam filius fuit fratremque habuit Brisen, qui Pedasum tenebat, et cuius filia Hippodamia Achilli dono data est, Eust. ad Il. α, 184; filium quoque eius Eetionem fuisse Mnaseas tradit apud Schol. ad Il. τ, 291; ipsum Brisen sacerdotem fuisse dicit Hyg. fab. 106. Regem Myneta, cum Achilles adveniret, abfuisse in Lyciam et Lycaoniam ut auxilia cogeret profectum, cumque rediisset, in pugna commissa ab Eurytione Achillis socio interfectum esse refert Ioannes Mal. pag. 126. Fragmentum alius narrationis, cuius auctores Hesiodus et Demetrius afferuntur, superest apud Scholiasten ad Il. ζ. 35; Achillem cum iam in eo esset, ut obsidione urbis propter loci difficultatem absisteret, a puella quae eum amabat, monitum esse ne abiret, nam incolas siti laborare, sicque captam civitatem. Dictys autem regem laqueo vitam finiisse, tumque urbem expugnatam esse tradit.

Alias addunt expugnatas ab Achille civitates, Tenedum, Il. λ, 625; Ovid. Met. XII, 107; Diod. V, p. 899; Serv. ad Aen. II, 21; Tzetz. ad Lyc. 232. Paus. X, 14, 2; Tennes rex eius insulae fortissime pugnans ab Achille interfectus est.

Aliter rem narrat Plutarchus (quaestt. gr. 28), Achillem monitum a matre, ne Tennem, Apollini gratissimum, occideret, famulo mandasse, ut eius rei ipsum, ubi opus foret, commonefaceret; sed postea cum insulam Tenedum populabundus incursaret, vidisse sororem Tennis, et captum virginis forma, eam persecutum esse, Tennem vero obviam pergentem, ut sororem defenderet, interfecisse. Ad Miletum Achillem pugnasse ibique Trambelum Telamonis filium necasse Tzetzes ad Lycophr. 467 narrat. Ab aliis civitatibus missos esse, qui pacem et amicitiam cum

Graecis iungerent, inque iis Scytharum regem cum magnis donis advenisse refert Dictys l. l. Magna Palamedi quoque laus ab aliis scriptoribus in his bellis tribuitur, cf. auctt. supra ll.; Aiaci item Telamonio multam laboris et gloriae partem tribuunt, quem Thracum Chersonesum, Phrygum regionem et Gargarum, Arisben, Gergitham, Scepsin, Larissam, Botyram et Cillam depopulatum esse Dictys (II, 18 et 27) dicit. Phrygiam ab eo vastatam esse Ioannes Mal. pag. 128 quoque narrat; Teuthras rex interfectus et eius filia Tecmessa abducta est, quam tamen Teleutantis filiam dicit Scholiastes ad Il. α, 138. Teuthrania dicitur regio Mysorum (Plin. Hist. N. V, 33 pag. 476), ad quam primum Graeci appulerunt, quam cum ab Achille devastatam esse Strabo XIII, p. 876 tradat, commutatus cum Aiace Achilles atque Telephi regnum cum Phrygia confusum esse videtur. De Gargaro aut Gargara vide Steph. Byz. Plin. H. N. V, 32; de Arisbe Il. β, 836, ab Achille ea eversa est, Serv. ad Aen. IX, 265; cf. Strab. XIII, 883; de Gergitha sive Gergithe Strab. XIII, p. 882; Herodot. VII, 43; Steph. Byz. Plin. l. l. Liv. XXXVIII, 39; de Scepsi Strab. l. l. Steph. Byz.; de Larissa Hom. Il. β, 841; Steph. Plin. l. l. Athen. II, p. 47; Botyram, in qua lectione neque libri editi neque manuscripti consentiunt, nemo novit; Botieum, quam Phrygiae civitatem Steph. Byz. nominat, fortasse legendum est; de Cilla iam supra aliam narrationem commemoravi: coniicere possis Zelean, quam Eustathius in eversis ab Achille oppidis enumerat. Carmina Cypria ab Achille has civitates vastatas esse narrabant, simulque ea quae cum his rebus cohaerentia Homericis carminibus tanguntur, qualia sunt, quae de Lycaone vendito, de bovibus ex Ida abactis, quod ab Aiace factum esse Dictys refert, et quae de Troili caede memorantur. Non uno tempore omnes

devastatae sunt, sed Achilles et Aiax primum ille urbes nominatas, hic Chersonesum et Phrygiam depraedati sunt, e quo itinere cum eodem tempore rediissent, praedam in medio omnium positam delecti ad id iudices Nestor et Idomeneus, Diomedes atque Ulysses diviserunt. Agamemnoni Astynome Chryseis aut dono data est, aut ut Tzetzes Anteh. 345 tradit, sorte obtigit; Achilli Briseis Hippodamia, praeter quam Diomedeam quoque retinuit, cf. Il. *α*, 162; Schol. ad Il. *α*, 366; Aiaci Tecmessa. — Ioannes Mal. p. 126 sqq. Hippodamiam ab Achille clam retentam neque in praeda prolatam esse dicit, quod cum animadvertissent Graeci, similem fraudem praecaventes alios ad reliquas urbes expugnandas miserunt: Teucer itaque et Idomeneus Cyprum Isauriam et Lyciam, Aiax Chersonesum et Phrygiam depraedati sunt. — Quae de Tecmessa apud tragicos poetas dicuntur nota sunt, filius inde natus Eurysaces, Soph. Ai. v, 541 sqq. alterum Aeantidem Dictys V, 16, tertium Banaurum nominat Steph. Byz. s. v. Ita quoque fuerunt, qui e Chryseide Iphigeniam Agamemnoni natam dicerent, cf. quae supra dicebantur pag. 95, aut filium Chrysen, cf. Hyg. f. 106. De Polydoro, quem e Chersoneso Aiax adduxisse dicitur, vide quae supra pag. 44 attulimus.

Achillem omnem praedam Agamemnoni dedisse, qui de ea pauca tantum per ceteros divisisset, traditur Iliadis *ι*, versu 330 sqq.

CAPUT XII.

RES IN ILIADE NARRATAE.

Varietas et discrepantia in iis rebus, quae proprium Iliadis argumentum efficiunt, tanta esse non potest, quanta est in aliis fabulis, certe si olim multa aliter narrabantur in tragoediis, quarum argumenta ex Homericis carminibus desumta erant, ea cum tragoediis ipsis abstulit aetas et delevit. Quae nunc diversa ab Homero aut discrepantia narrantur, magis ad ordinem pugnarum, ad nomina heroum, qui occisi, qui vulnerati sint, quam ad res ipsas pertinent, quae singula nunc enarrare ineptum foret. Ut autem aliquis in hoc nostro libello ordo continuus observetur, quae potissimum memoratu digna videbantur, ita ut Dictys ea describit, paucis hic exponemus, reliqua de nominibus occisorum et vulneratorum, quia magis de verbis auctoris quam de fabulis agendum est, in editione Dictyis suo loco monebimus.

Chryses sacerdos Apollinis ut Dictys ait, Sminthii, Chrysae habitabat. Il. α, 431; Dictys autem Sminthiam, Troianorum oppidum patriam eius designare videtur II, 14; nam ibi narratur, Apollini Sminthio sacrificium exhibitum esse a Chrysa, illius loci sacerdote praeeunte, locus autem in iis quae antecedunt, nullus nominatur. Fuerunt autem, qui civitatem Sminthen statuerent, cf. Steph. Byz. s. v. Scholiastes autem ad Il. α, 39 Sminthiam nominat et prae-

terea eadem, quae Strabo e Callino poeta XIII, pag. 901 affert. Fallitur itaque Fabretti ad tab. Il. pag. 318 B, qui eam urbem solum Stephanum sibi finxisse putat. Possit tamen locus ille Dictyis emendari et legi dei illius sacerdotem, cum Chrysen semper sacerdotem Apollinis Sminthii nominet.

Hic itaque Chryses ut filiam Astynomen redimeret, ad Graecos venit afferens dona multa et dei ipsius auctoritatem prae se ferens. Sed ob amorem puellae Agamemnon, quamvis ceteri duces reddendam seni filiam censuissent, sacerdotem atrociter exitium minatus dimisit. Qua re Graeci, qui dei auctoritatem negligere nefas ducebant, irati simulque Palamedis iniuste occisi memores Agamemnonem deseruere, inprimis Achilles regem ipsum et Menelaum contumeliis lacerabat. Caedem Palamedis, Achilli amicissimi, posteriores auctores causam, cur in Agamemnonem iratus esset, tradiderunt, cf. auctt. s. Il. et *Tzetz.* Hom. in.; Phil. Heroic. p. 689; 709. Tum autem morbus pestilens, ab irato deo, ut apparebat, immissus, exercitum invasit, qui cum indies augeretur, convocato concilio Achilles singulos reges iureiurando adegit, non iri offensum eos, si Calchas causam mali, ut ex eo petivisset, effaretur. Qui cum non redditam patri Astynomen causam esse dixisset, statim Agamemnon e concione egressus suos in armis esse iussit, ne puella vi ab ipso abstraheretur. Achilles autem, ut ad persistendum in eo consilio ceteros principes excitaret, cuncta mortuorum corpora in unum collecta ante omnium oculos proiici iussit; quo spectaculo ita commovebantur, ut vim et arma omnes contra Agamemnonem pararent. Hanc narrationem e tragoedia desumtam esse, qua initium Sophocleae fabulae de Oedipo rege auctor imitabatur, apparet. Occasionem eam captantes Troiani ex urbe pro-

runnt, ut subito impetu hostes se ipsos impugnantes opprimerent, Hectore Troianos, socios Sarpedone ducente; hoc de ducibus expressum est ex Iliadis loco μ, 290. Graecorum acies ita instructa erat, ut dextrum cornu Achilles, alterum Aiax Telamonius cum Diomede, medium Aiax Oileus et Idomeneus tenerent. Pugna deinde incerta victoria commissa est.

Ordo narrationis quam longe ab Homerico diversus sit, apparet, sic aliquis narrabat, qui ut Achillem extolleret, eum regem Agamemnonis loco ob studium pro salute Graecorum (respiciens fortasse ad Il. ι, 323) et virtutem eximiam ab exercitu aut creatum esse aut fuisse in eo ut crearetur, tradebat. Noverat eum finem narrationis Dictys, vid II, 33, sed Agamemnon id instans malum ut evitaret Astynomen patri reddidit, Achilli tamen antea Hippodamiam eripuit, connivente ob amorem et curam erga exercitum iuvene. Sed deinde Achilles eius iniuriae impatiens ita fuit, ut pristino in Graecos amore excusso irasceretur iis, omni consilio et negotio abstineret et duces atque amicos aditu ad se prohiberet. Tzetzes Hom. in. lugentem ob necem Palamedis Achillem, ut Hippodamia abstraheretur. concessisse ait.

Interea Troiae exercitus sociorum et copiae auxiliares domum redire parabant, quod ubi animadvertit Hector, cunctos in pugnam eduxit. Hos autem Dictys II, 35 enumerat. Pandarus, Il. β, 825; Hippothous Pylei filius, in quo errat, nam filius erat Lethi Teuthamidae; Il. β, 840. Euphemius Troezenius; sic nunc quidem legitur, sed legendum videtur Troezeni, subaudito filius; cf. Il. β, 846. Acamas et Pirus, Thraces, Il. β, 844; sed praeter eos alii Thracum duces memorantur, Iphidamas Antenoris filius, Il. λ, 221; de Rheso infra agetur; Pylaemenes, Il. β, 851, de eo multum disputant interpretes ad Il. ϵ, 566; ν.

643; sed duos fuisse non opus est ut statuamus; fi- us eius erat Harpalion; Odius et Epistrophus, Il. 856; Sarpedon; sub eo Pandarum et Glaucum fuis- narrat Philostratus Heroic. pag. 698. B; Nastes e Amphimachus; β, 864; Glaucus; Phorcys et Ascani- Il. β, 862; Chromis, quem cum Eunomo venisse H- merus dicit Il. β, 858. Pyraechmes, quem Axii filiu- eadem ratione, qua Xanthi Sarpedonem, Dictys dic- cf. Il. β, 837, ubi ab Axio flumine venisse dicitu- Amphius et Adrastus, Il. β, 830. Asius Hyrtaci Il. 837; Asius Dymantis, qui quidem iu Catalogo Home- rico non enumeratur, memoratur autem Il. π, 71- adde Strab. XIII, pag. 883.

Dictys urguens locum Homericum Il. β, 553 Me- nestheum ipsum Graecorum aciem ordinasse ait ita u- Nestor Agamemnonem facere iubet Il. β, 362. Cum- que utraque acies instructa esset, neutra pars initium pugnae facere voluit sed retro se receperunt. Grae- cos dispersos iam ad naves et tentoria Achilles aegre ferens, quod ab Agamemnone ad convivium pridie invitatus non fuisset, cf. supra dicta pag. 102, subito invadere conatus ab Ulysse, qui singulos quosque stu- diose ad arma vocabat, praeversus est; cum enim paratos ad pugnam lacessere non auderet, regressus est ad naves suas. Graeci autem Troianos eo tu- multu et clamore ex urbe excitatum iri rati, Ulys- sem et Diomedem ad confirmanda disposita praesidia miserunt, qui Dolonem ab Hectore ad speculandum mis- sum obviam habuerunt et interfecerunt. Aliter Homerus Il. κ, 331 sqq.; Virg. Aen. XII, 349; Ovid. Met. XIII, 98. Non multo post tandem acre proelium, ad quod Graecos a Troianis lacessitos esse Tzetzes Hom. 8 narrat, commissum est; in eo post magnam caedem Menelaus cum Paride, quem Hector ad id excitaverat, singulari certamine congressus, cum iam hostem in-

perfecturus esset, Pandari sagitta repressus est. Paris deinde globo suorum irruentium ereptus est, Pandarum Diomedes necavit, brevique nox eius pugnae finem fecit. Tzetzes sorte, qui certamine singulari congrederentur, destinatos esse dicit, quae Paridi et Menelao obtigisset. Tum imminente hyeme utraque pars bipartito campo arabat et serebat, Aiax autem Phrygiam depraedabatur; cum repentino impetu Hector cum Troianis Graecorum castra adortus est; pulsis iis, qui custodes positi erant, incendio in naves saeviebat; Graeci Achilli genibus advoluti frustra ab eo auxilium petebant; cum Aiax opportune advenit; qui Hectore lapide icto et domum deportato assumto Diomede ceterisque fugientes hostes persequutus plurimos eorum interfecit. Tum Rhesus Eione genitus, cum vespere quodam advenisset et positis tentoriis diem expectaret, ipse ab Ulysse et Diomede interfectus est, et sequenti die Thraces cum, ut regis caedem ulciscerentur, pugnam committerent, ad internecionem omnes deleti sunt.

Vides in his Dictyn eadem fere quae Homerus sed ordine longe diverso enarrare; ita certamen Menelai et Paridis eodem fere modo describit quo Homerus (Il. η) Aiacis et Hectoris, bellum ad naves (Il. μ, ν, ξ) cum subito impetu conglutinat, Rhesi et Dolonis caedem seiungit; idem fit in iis, quos necatos aut vulneratos dicit, enumerandis.

Maior autem est de Rheso varietas; Eionis filius dicitur ab Homero, Strymonis filium dicunt Euripides Rhes. 275; Conon narr. 4; Eustath. ad Il. κ, 435; Apollodorus I, 3, 4, qui matrem ipsi musam Euterpen, aut Calliopen aut ut a Conone Terpsichoren tribui ait, cf. Tzetz. ad Lyc. 831. Oraculum, cuius fragmentum servasse videtur Steph. Byz. s. v. θράκη, ipsi editum fuerat, invictum eum fore, si ipse cibum Troia-

num gustasset, et equi eius ex amne Troiano bibissent; Schol. Il. κ, l. l. Ovid. Her. I, 39; Am. I, 9, 28; A. A. II, 145; Serv. ad Aen. I, 469; Statim post adventum igitur, antequam quidquam fecisset, interfectum eum narrant Philostratus Heroic. pag. 652 Suidas s. v. Ῥῆσος. Ad bellum venisse eum Euripides dicit, quoniam antea Hector ipsi auxilium tulisset, Rhes. 408, tam sero autem venisse, quia a Scythis impeditus esset, vs. 425; exemplum habes, quibus poetis debeatur frequens Scytharum apud Dictyn mentio; Scholiastes Il. κ, l. l. Pindarum auctorem affert, qui narraverit, Rhesum unum diem cum Graecis pugnasse, eosque magna clade affecisse. Aliter iterum narrat Parthenius Erotic. 36, Rhesum Troianis auxilio advenientem in ipso itinere antequam Troiam attigisset, a Graecis qui ipsi obviam processissent, insidiis esse exceptum et in flumine circumventum occisum esse; similis narrationis vestigia supersunt, si locum recte capio, in Scholiis ad Soph. Aiac. 564, sub finem belli Troiani Thraces advenisse, quos frustra missis legatis Graeci ad belli societatem permovere studuissent, ad quos intercipiendos milites inque iis Teucrum missos fuisse. — De honoribus, qui ei exhibebantur cf. Philostr. Heroic. pag. 652. B.

Philoctetes sanatus nunc Troiam ad exercitum rediisse dicitur. Oraculum enim editum fuerat, sine Herculis sagittis Ilium expugnari non posse. Pind. Pyth. I, 100. ibique Schol. Hercules autem Philoctetae, quod rogum, in quo se ipsum combussit, incenderat, arcum et sagittas praemium dederat, cf. Sophocl. Philoct.; Lucian. adv. indoct. 5; Schol. Lucian. ad Tim. 6. pag. 112. Serv. ad Aen. VIII, 300. Ptolemaeus Hephaestion autem (apud Phot. pag. 244) narrat, non Philoctetam sed Morsimum Trachinium rogum

incendisse. Vulgaris autem narrationis ordo est, mortuo Achille eum reductum esse; sic Sophocles et ex Iliade parva Procli excerpta tradunt; reversum Machaon sanavit. cf. Schol. Pind. l, l.; ubi Bacchylides auctor affertur, eum monitu Heleni adductum esse; cf. Tryphiod. v. 45. Idem Ptolemaeus rimator curiosus rerum inauditarum Philoctetam serpentis morsu interiisse ait (pag. 250.), item (pag. 253 in.). eum a Pelio Vulcani filio Lemni sanatum dicit: sanatum autem esse gleba Lemnia fama est, cf. Philostrat. Heroic. pag. 676; et quae Tzetzes ad Lyc. 51 affert ex Orpheo (λιϑ. 363). Aliter narrabatur, Philoctetae sagittas rapuisse Ulyssem, quod artifex pictura exhibuerat, cf. Pausan. I, 22, 6. Servius (ad Aen. II, 13) Philoctetam sagittas misisse tradit, cum venire ipse non potuisset. Ab Ulysse et Neoptolemo eum adductum esse omnes tradunt, cf. praeter auctt. ll. Lucian. de paras. 10; Hyg. 102.

Tum Chryses ad exercitum Graecorum advenit et Astynomen Agamemnoni obtulit; Aiax deinde auctor extitit, ut legati ad Achillem mitterentur, qui eum cum Agamemnone reconciliare studerent. Missi legati iuvenem reddita intacta Hippodamia et aliis donis oblatis exoravere. Philostratus Heroic pag. 709 sq. eum rogantibus Nestori et Aiaci Patroclum, ut suos ad bellum duceret, concessisse narrat.

Per tempus hyemis, quae iam aderat, Graeci partim bellandi genera exercebant, partim sine ullo metu mixti cum Troianis sacra in templo Apollinis Thymbraei faciebant. Ibi cum die quadam Hecuba cum filiabus et aliis mulieribus, in quibus Cassandra et Polyxena pulchritudine et forma prae ceteris eminebant, rem sacram curaret, Achilles Polyxenam vidit et eius amore captus est et ita afflictus, ut cum Hectore de virgine ageret; pro cuius connubio se

omne bellum soluturum pollicebatur, Hector autem, ut Atridas et Aiacem interficeret postulabat; Servius ad Aen. III, 322 narrat, Achillem, cum circa muros Troiae bellum gereret, virginem visam forte adamasse et conditione pacis in matrimonium postulasse; alii autem Achillem eam, cum una cum patre ad redimendum Hectorem venisset, primo vidisse et adamasse tradunt, ut Philostratus Heroic. pag. 713; Tzetz. ad Lyc. 713. Automedon cum Achillem magis magisque afflictari videret, tandem Aiaci et Patroclo rem cunctam aperit, qui apud eum commorabantur timentes, ne quid male auderet; sed Achilles recordatus sui, Agamemnonem ceterosque duces convocat, iisque animi aegritudinem ingenue effatur.

Per idem tempus omnes fere, quae antea cum Troianis coniunctae fuerant civitates, ab iis defecerant et a Graecis amicitiam petebant. Troiani vero in pugnam progressi sunt; in qua Graecos primum equis invectos esse tradit Dictys; extabant hac de re fabulae, ut Hectorem solum quadriga vectum esse, quae legitur apud Philostrat. Imagg. I, 27. Heroic. pag. 654. D. Cruentum et atrox id proelium fuit, in quo praeter alios Sarpedon a Patroclo occisus est ingenti luctu Troianorum; qui non multo post repentino incursu Graecos invadunt et magnam stragem edunt; Patroclus ab Euphorbo necatus est, cuius cadaver Hector multis ictibus confodit. Aiax tandem superveniens Hectorem repellit, cadaver Patroclí eripit, funusque eius publice Graeci celebrant. Iterum deinde pugna atrox commissa est, in qua vivi capti sunt quadraginta duo Troianorum, in iis duo Priamidae, quos omnes sibi a ceteris oblatos Achilles ad bustum Patrocli iugulari iussit, Priamidarum cadavera etiam canibus dilanianda proiecit.

Interim nuntius afferebatur, Hectorem obviam processisse Penthesileae, quae cum Amazonibus auxilio Priamo veniebat; cui Achilles insidias locat, circumventum in flumine necat, necatum ad currum alligavit et per campum traxit. Quem cum agnovissent Troiani, tantum clamorem ediderunt, ut aves de coelo deciderent, Ioann. Mal. pag. 156; 165. Tzetzes autem Hom. 261 turbatas aves per aerem volitasse narrat. Ita, ut Dictys narrat, Hectorem in Scamandro noctu occisum et mane raptatum esse e quibusdam auctoribus, sed Dictyn ipsum certo respiciens, tradit Tzetzes Hom. 250 sqq. Philostratus autem Heroic. pag. 679 post longum certamen Hectorem tandem interfectum esse ab Achille refert in aliis rebus Homericam narrationem sequens. Alii non per campum modo sed ter circa urbem Hectorem raptatum dicunt, cf. Eurip. Androm. 1107; Tryphiod. 21. Virg. Aen. I, 438; Prop. El. III, 1, 29; fragm. Ennii ed. Delrio pag. 97; Ioann. Mal. l. l. Iacobs et Welcker. ad Philostr. Imagg. pag. 410; adde Suidam s. v. φαρσάλιοι.

Ludos tum Achilles in honorem Patrocli instituit, in quibus describendis Dictys Quintum Smyrnaeum, qui certamina quae Thetis post occisum Achillem instituit, enarrat, sequitur magis quam Iliadem. Ad bustum Patrocli saltantem Achillem Pyrrhichen saltationis genus invenisse ex Aristotele refert Scholiastes Pindari ad Ol. II, 148.

His actis Priamus, ut filii cadaver redimeret, ad Graecos venit; frequens id tragoediarum argumentum erat, et a multis poetis Hectoris lytra conscripta erant. Dictys ipse argumentum tragoediae enarrat ut e multis apparet, ex orationibus et e gestu et moribus heroum: sic dum Achillem in urna recondita ossa Patrocli ferentem progressum esse dicit, quis non videt, Orestae urnam ferentem paedagogum ex-

pressum esse? Advenit autem Priamus humeris Pe-
nae innixus una cum Andromacha, quae duos filios
ex Hectore susceperat ducebat. Advoluti ge-
Achilli orabant cadaver, Nestore supplices miser-
Ulysse conviciis insectante. Tandem rex Phoenic-
Nestore quoque intercedente motus precibus Pria-
mensae adhibuit, Polyxenae, quae se ipsam ei offer-
dona quae advecta erant praeter aurum et argentum
nat, ut pignus futuri coniugii, Tzetz. Hom. 399;
ctorem patri tradit. Ita ut Dictys narrant Ioann.
lel. pag. 167 sqq. Tzetzes Hom. v. 295; Home-
narrationem Hyginus fab. 106 sequitur; aliam Ser-
ad Aen. I, 487; Priamus, ait, ad tentorium Ach-
progressus eum dormientem excitavit, ut oraret
redimendo Hectore. Advenisse cum Priamo Poly-
nam idem narrat ad III, 322; cf. Philostrat. Her.
713. Hectoris cadaveri aequale auri pondus dat-
esse Achilli pretium tradit Tzetzes ad Lyc. aut de-
cem talenta, ut idem narrat Hom. 306. Duodecim
dierum induciae factae sunt, ut Troiani Hectorem so-
lenni funere sepelire possent.

CAPUT XIII.

DE PENTHESILEA ET DE MEMNONE.

Quae post Hectoris exequias deinde ad Troiam ge-
sta sunt, de iis agebat Arctini poetae Aethiopis, it-
ut extrema eius carminis mortem Achillis enarraren-
Multa ex eo et aliis, quae praeterea extabant olim
carmina, hausit Quintus Smyrnaeus; alia leguntur in
Tzetzae Posthomericis, res ob oculos ponit tabul-

iaca; e variis auctoribus varia collegit Dictys; nos nunc enarrabimus modo hunc modo illum auctorem qui res accuratius quam reliqui exponit, potissimum sequentes.

Amazones Harmoniae et Martis filiae dicuntur apud Pherecydem fragm. VI, pag. 86. ed. Sturz. cf. Apollon. Rh. Arg. II, 992; hinc emendandus locus Scholiastae ad Il. γ, 189, ubi pro Ἁρμονίας legitur falso Ἀρμενίας. Alii quoque Venerem matrem earum finxerunt Schol. Il. l. l. Frequentem de iis in antiquissimis epicis carminibus extitisse memoriam testantur loci Homerici Il. γ, 184; ζ, 186; et quidem in rebus Herculis, Thesei, Bellerophontis, Bacchi enarrandis, et in chorographis Asiae minoris fabulis de bellicosa hac mulierum gente locus fuit. vide Heyn. ad Apollod. II, 5, 9; Creuzer. fragm. hist. ant. pag. 82 sq.; Sturz. ad Hellanic. pag. 122.

Loci scriptorum memoratu dignissimi et classici sunt Herodot. IV, 110, sqq.; Diod. II, 44; Iustin. II, 4; Strab. XI, pag. 769; Apollod. l. l.

Regina Amazonum tum temporis itaque erat Penthesilea, Otreres filia, Schol. Il. γ, l. l.; ea domo profuga ob piaculare facinus, occiderat enim Hippolyten (Diod. II, p. 167; Quint. Sm. I, 18 sqq), Troianis auxilio venit. Alii autem sua virtute fretas eas ad id bellum profectas esse narrabant, cuius narrationis praeter Hellanicum alios auctores affert Tzetzes Posthom. 13, sqq.; ad Lyc. 1327; cumque hac alteram itineris causam coniungunt, cupiisse Penthesileam sobolem ex Achille suscipere, et concubuisse cum heroe, unde filius natus sit Caistrus, Serv. ad Aen. XI, 661. Cum Amazonibus finitimarum quoque gentium copias advenisse narrat Dictys IV, 2; sed reginam, postquam Hectoris mortem rescivisset, retro se recipere voluisse et vix a Paride multis donis da-

tis retentam esse. Troiani igitur sociis his, quarum fortitudo clara habebatur per antiquitatem (Pausan. I, 15, 2), confisi pugnam contra Graecos commiserunt. Dictys l. l., Tzetzes Posth. 82 sqq., Ioannes Malelas pag. 160 aciem ita describunt, ut Troianorum exercitum secundum armorum genera in sagittarios, equites et pedites divisum fuisse dicant, quibus contra quamque partem Graeci aptos duces opposuissent, qui singuli suos eodem modo armatos duxissent; cf. Philostr. Her. p. 727. Atrox deinde proelium factum, per quatuor dies Tzetzes ait Posth. 114 sq; in quo primum reginae sagittis multi Graecorum ceciderunt, donec Aiax et Achilles, quos initio pugnae lugentes ad bustum Patrocli consedisse et clamore demum pugnantium excitatos esse in pugnam Quintus tradit, supervenientes hostes pellerent et Achilles reginam ipsam ex equo deturbatam interficeret. Fugientes tum Troianos sequuti Graeci multos necaverunt, mulieribus tamen propter sexum parcentes, ut Dictys ait. Ptolemaeus Hephaestion (ap. Phot. p. 251) tradit, Achillem primum a Penthesilea occisum deinde matris precibus in vitam revocatum ipsam occidisse; cf. Telles ap. Eustath. ad. Od. λ, 538 pag. 430 Lips. Occisam reginam petentibus Troianis redditam et honorifice sepultam esse narrant plerique ut Quintus, Dictys autem, cum formam eius admiraretur Achilles et sepelire eam cuperet, Diomedem Graecis auctorem extitisse dicit, ut semimortuam in flumen proiicerent, idque ceteris placuisse. Alii Achillem talia agentem a Thersite contumeliis et conviciis petitum esse et iuvenem iratum importunum oratorem pugno occidisse narrant, sic Quintus I, v. 741 sqq, Thersitem adeo oculos mortuae reginae effodisse Tzetzes ad Lyc. 999 dicit.

Thersites hic Agrii, qui frater Oenei erat, filius Diomedi affinitate iunctus erat, cf. Il. ξ, 117; Quint. Sm. I, 769; Eustath. ad Il. β, 212; hinc quaestio exorta apud veteres Grammaticos, qui eum regio genere oriundum ut de vulgo hominem sceptro verberare Ulysses potuisset, vide Schol. ad Il. β, 212; 242. Sed Thersites in antiquioribus carminibus easdem partes hominis insulsi et propter formam et corporis infirmitatem ridiculi agebat, ut in carminibus de Meleagro, qui eum suspensum loris discidit, cf. Eust. l. l. Qui autem affinem eum Diomedis dicunt, his aliam quaestionem proponere possemus, qui Diomedes, cuius avus ab Agrii liberis eiectus e regno erat, hunc Agrii filium immemor iniuriae avo illatae contra Achillem defenderit, sed utut est, Diomedem ob necatum Thersitem iratum arma contra Achillem movisse dicunt, et vix ab aliis prohibitum esse, cf. Quint. In Aethiopide narrabatur, tumultum ob id in exercitu factum esse et Achillem Lesbum advectum post sacra facta ab Ulysse expiatum esse. Thersitem post mortem Achillis vixisse Sophocles Philoct. 442, 445 innuit, quod contra historiam esse contendit Scholiastes. Ab Achille Penthesileam sepultam esse Servius ad Aen. I, 491, a Troianis iuxta sepulcrum Laomedontis Quintus dicit. Negat omnino Amazones ad bellum Troianum venisse Philostratus Her. p. 725. A. Ita ut Virgilius (Aen. I, 490) reginam describit, pictam viderat Pausanias (X, 31, 8.).

Non ita multa post, sequenti die ut Dictys ait, Memnon cum exercitu Aethiopum advenit. Erat ille Tithoni et Aurorae filius, et Priamo ideo affinis, quam affinitatem causam, cur advenisset, sunt qui habeant. Matrem eius Aeschylus non Auroram sed Cissiam dixerat, Strab. XV. pag. 728; Steph. Byz. s. v. Σοῦσα. Susa enim urbs ab eo condita aut se-

des regni eius fuisse dicitur, ipse clarus et potentissimus rex Aethiopum et Assyriorum habetur, Herodot. V, 53; Strabo XV, p. 1058. C. Diod. Sic. II, 4 ibique Wessel.; Paus. X. 31, 7, addit Diodorus, Priamum cuius regnum Assyriis subditum fuisset, a Memnone auxilia petiisse, cf. Athen. XV, 24; etiam Plinius Hist. Nat. VI, 35 (pag. 755) Memnonis exemplo utitur, ut magnas Aethiopum opes antiquis temporibus fuisse ostendat. Hunc itaque regem aeque armis a Vulcano fabricatis et potentia clarum quam forma prae ceteris insignem (Od. λ, 522) Troianorum opibus afflictis auxilio venisse antiqua fama est, quae iam in Odyssea commemoratur. Partem copiarum ipsum terrestri itinere adduxisse, partem Phala quodam duce mari missos esse narrat Dictys II, 4. Illi cum rege salvi advenerunt, quorum numerus maximus erat, ita ut etiam spes Priami superaret; hos Rhodum appulsos incolae eius insulae Graecorum amici a *proposito* amovere studebant. Phalam enim et Phoenices, qui plurimi in exercitu eius erant, incusabant, quod ei auxilio proficiscerentur, qui aliquando ipsorum regem interfecisset et Sidonem expugnasset, quo commoti milites Phalam lapidibus obruerunt et per Ialysum et Camirum urbes distributi aurum et ceteras opes inter se diviserunt. Haec narratio ad origines Rhodias pertinere videtur, similem de alia parte, ut videtur, exercitus tradit Athenaeus XV, 24.

In pugna, quae deinde commissa est, Memnon multos Graecorum interfecit, in iis Antilochum Nestoris filium (Od. δ, 182;), Philostr. Imagg. p. 63; intpp. p. 437, tandemque omnes fugavit, adeo ut, ni nox supervenisset, naves eo die incendio deletae essent. Placuit deinde Graecis, ut sorte, qui contra Memnonem pugnaret, decernerent; sic immutasse Dictys videtur ea, quae in Aethiopide narrabantur,

Thetin filio Memnonis fata antea apperuisse. Ea sors Aiaci obtigit. Qui sequenti die cum eo congressus cum a sociis regis premeretur, accurrens Achilles Memnonem hasta transfixit; sic Dictys. Quintus autem uno die debellatum esse et Memnonem occisum tradit: II, 528 sqq. Antilochum ab eo necatum tradit praetera Pindarus Pyth. VI, 28, ipsum ab Achille cecidisse idem Ol. II, 148; Nem. VI, 85; quae eum e Lecshe hausisse dicit Scholiastes, cf. praeterea de Memnone Philostr. vit. Apoll. VI, 3; qui eum non ad Troiam sed regnantem in Aethiopia mortuum esse narrat, cf. Heroic. pag. 672; Memnonem illum, qui ab Achille occisus esset, Troianum fuisse, qui ignotus antea post Hectoris demum mortem fortitudine inclaruerit, adeo ut in eo spem omnem Troiam posuerint; adde Callistr. stat. 9; Heyne exc. XIX ad Aen. I. l. l. eum cum multos Graecorum trucidasset, Thessalorum insidiis necatum tradit. Cum deinde Graeci induciis factis suos et Troiani seorsim Memnonem sepelirent, immissi a matre venti ipsum cadaver et omnes socios abripuerunt, ut Quintus tradit; cremati reliquias in urna conditas a Troianis in patriam remissas esse, Dictys, ex cinere combusti cadaveris aves memnonias natas esse, quarum quotannis redeuntium pugna sit memorabilis, Ovidius (Met. XIII, 605) et Plinius (Hist. N. X, 38) narrant. Sepultum eum esse in Syria circa Paltum iuxta flumen Badam Strabo (XV, pag. 1058) e Simonide affert. Argumentum tragoediae alicuius afferre videtur Dictys VI, 10; Hemeram sororem Memnonis ad ducem classis Phalam venisse, qui Paphi commoratus esset, ut bona et ossa fratris repeteret; sed haec sola accepisse et domum rediisse, ubi sepultis fratris reliquiis nusquam deinde comparuisset. Ea singularis narratio eo magis mira videtur, cum in ea nonnulla leguntur, quae alibi nusquam me-

morantur. Matrem Memnonis Hemeram dicunt, non sororem, quam Anthyllam nominant, cf. Eust. ad Il. α 539. Quem Dictys Phalam aut Phalantem appellat eum significare videtur Polydamas aliquis, quem Ioann. Mal. p. 162 ad Troiam cum Memnone venisse dicit.

Quae de Memnone divino et de religione eius narrantur huc pertinere non arbitror, et extant ea de re singulares virorum doctorum libelli, ut Iacobsii, cf. Creuzer. Symb. I, pag. 341; 454. Fabulae de eo tragicis poetis argumenta tragoediarum suppeditasse docent fragmenta et catalogus fabularum deperditarum.

CAPUT XIV.

ACHILLIS ET AIACIS CAEDES.

Post ea Troianos lacessitos a Graecis cum in pugnam procedere ausi essent, antequam ad dimicandum venisset, solutis ordinibus fugam fecisse, in qua plurimi eorum occisi, Troilus quoque et Lycaon Priamidae vi i capti essent, eosque in medium productos iugulari Achillem iussisse, Dictys IV, 9 tradit. In ea quoque pugna sagitta Apollinis cecidisse Achillem narrat Quintus III, 61; tumque atrocissimum proelium circa cadaver eius exortum esse, hinc Paride Troianos ad id eripiendum hortante, illinc Aiace resistente; qui Glaucum, quem in proxima ante pugna necatum esse Dictys refert, occidit, Aeneam vulnerat, dum cadaver a nobilissimis in castra deportatur. Cecidisse

Achillem ab Apolline notissima fabula est cf. Il. χ, 359; ubi ad Scaeam portam interfectus esse dicitur; quod latius Arctinus describebat, eum in pugna eadem qua Memnonem interfecerat, cum fugientibus Troianis una in portam irrupisse et a Paride, cuius sagittam direxisset Apollo, necatum esse; id quoque artifex tabulae Iliacae expressit. Apollo id fecisse dicitur rogatus a Neptuno, ut filium Cycnum, quem Achilles interfecerat, ulcisceretur, Lact. Plac. XII, 6; Ovid. Met. XII, 580 sqq. Apollinem caedis auctorem designant Pindarus Pyth. III, 178; Sophocles Phil. 334; Euripides Hecub. 392; Hyg. fab. 107; Paridem autem Euripides Androm. 646; Sostratus apud Eustath. ad Od. λ, 538. Longe alius ordo fabulae est apud Dictyn (IV, 10, sqq); festos post eam pugnam dies incidisse et Achillem nuntiis a Priamo evocatum esse in lucum Apollinis Thymbraei, ut de Polyxena cum ipso ageretur. Ibi Paris et Deiphobus insidiis compositis, dum hic inermem invenem exosculans amplectitur, ille latus eius gladio transfigit. Sed e Graecorum exercitu, per quem rumor et suspicio de Achillis proditione exorta erat, Aiax, Diomedes et Ulysses ad templum venerant, qui cum subito proruentes interfectores vidissent, ingressi seminecem Achillem invenerunt. Moribundus herós auctores caedis nominat, mortui cadaver humeris suis Aiax ad Graecos detulit. Haec itaque Dictys, eadem Tzetzes Posthom. 395. sqq; Hyginus fab. 110; cf. Schol. Eurip. Orest. 385; Hecub. 392, qui tamen aut gladio aut telo occisum esse a Paride Achillem tradit, quae Servius explicat (ad Aen. III, 85, 322; II, 57,), Paridem pone simulacrum Apollinis latuisse et sagittis eum necasse, unde orta esset fabula, eum ab Apolline occisum esse; eadem affert Tzetzes ad Lyc. 296.

Alii ob amorem Troili Achillem occisum esse dixerunt: Tzetz. ad Lyc. 307.

Eruptione deinde facta Troiani cadaver eius eripere conabantur. Sed Aiax eos repulit et multos et in his nobilissimos interfecit. Ulyssem in eo proelio prae ceteris excelluisse, ob quod arma Achillis deinde accepisset, antiqua fama erat, cf. Od. ε, 310 sqq.; ipsum ex eo tumultu humeris suis cadaver in castra detulisse, dum Aiax hostes prohiberet, narratur apud Ovid. Met. XIII, 284 sqq.; Tzetzes autem Troianis ut cadaver eriperent contigisse narrat, neque id prius Graecis redditum esse, quam omnia, quae ad Hectorem redimendum dederat, Priamus recepisset: cf. Lycophr. 270. Tzetz. l. l. et Posthom. v. 430.

Deportato in castra cadavere magnus luctus extitit Graecorum. Thetis cum Nereidibus et Musis advenit et mortuum filium deflevit, cf. Procl. exc. ex Arctino; rogo deinde extructo comburitur cum multis Troianis, qui inferias ei mittebantur; cf. Quint. III, 680. Aiacis consilio in eodem loco, quo Patroclo, rogum Achilli extructum esse eumque per triduum continuatis laboribus funus curavisse, Dictys tradit, IV, 13. Achillis et Patrocli ossa in una urna condita esse narrat Tzetzes ad Lyc. 273; 275. Posthom. 413. cf. Il. ψ, 243 sqq. Sepultus autem dicitur in Sigaeo, ubi tumulus Aiacis potissimum opera, ut Dictys narrat, in eius honorem congestus diu extabat, oppidum quoque Achilleum ibi conditum memorant; Strabo VII, pag. 477; Plin. H. N. V, 33. pag. 476. Postea in Thracum quoque Chersoneso tumulum ipsi Graeci extruxerunt. Arctinus a Thetide filium e flammis ereptum et in insulam Leucen deportatum esse narrabat: Procl. in excerptis.

Mirae fabulae veterum de hac re extabant, quas in unum collegisse dicitur Koehlerus [1]), cuius libellum mihi adhibere non contigit. Eam insulam describunt Strabo VII, 472; 477; Plinius H. N. IV, 26, pag. 166 sq. Philostr. Heroic. p. 720; Steph. Byz. s. v. Ἀχιλλέως. δρόμος. Sita est ea insula in ponto Euxino prope Istrum, ut ait Pausanias (III, 19, 11), vel, ut Plinius ait, ad oras Borysthenis, a qua non multum aberat peninsula ad gladii formam porrecta, cognominata Achillis dromos, cf. Schol. Apoll. Rh. II, 658. Insula etiam Achillea, quod proprium nomen esse Stephanus putat, aut Macaron (τῶν μακάρων. νῆσος) dicebatur, non unus enim Achilles sed alii quoque heroes ibi post mortem vivere dicebantur. Erat ibi templum herois, aut tumulus et statua; insula autem hoc modo e mari procreata dicitur. Achilles ardebat amore Helenae, et ad amorem hunc explendum Thetidis et Veneris consilio ambo convenisse dicuntur, ut iam Cypria carmina narrabant; cf. praeterea Tzetz. ad Lyc. 171. Philostratus autem tradit: Neptunum rogante Thetide, ut locum, ubi secure et tranquille amantes degere possent, ipsis concederet, Leucen procreasse e limo, quem influentia in mare ibi flumina secum vehunt. In ea itaque insula uxorem Achilles habebat Helenam, Eurip. Androm. 1262; Paus. III, 19, 13. e qua filium alatum Euphorionem genitum esse tradit Ptolemaeus Hephaestion (ap. Phot. p. 247. l. 20), quem Iupiter, cum amanti ipsi morem gerere nollet,

---

1) Libelli titulus est: Memoire sur les iles et la course consacrées à Achille dans le Pont Euxin, avec des éclaircissimens sur les antiquités du Littoral de la Sarmatie et des recherches sur les honneurs que les Grecs ont accordées a Achille et aux autres heros de la guerre de Troie, St. Petersbourg. 1827.

interfecisset. Ibycus autem primus et post eum Simonides Medeam uxorem eius fuisse narraverant, Schol Apoll. Rh. IV, 815, Tzetz. ad Lyc. 174; 798. Alias narrationes, eum Iphigeniam quaerentem eo delatum et ibi commoratum esse, supra tetigi. Honores quinam ipsi habiti praeterea sint, tradit Philostratus Heroic. p. 717.

Certamina deinde in mortui honorem habita Quintus Smyrnaeus describit, et qui in quoque genere praemia reportaverint enumerat (IV, 180 seqq.). De armis Achillis tum certatum est inter Ulyssem et Aiacem, cumque illi ea adiudicassent iudices, Aiax qui ignominiam ferre non poterat, semet ipsum necavit.

Thetis quippe Achillis arma in medium proferebat, ut fortissimo donarentur; surrexerunt itaque eam gloriam ambientes Aiax et Ulysses. Troiani iudices electi sunt in hac lite decernenda, cum Nestor *id iudicium* detrectaret, cf. Quint. Sm. V, 250; Lucian. Dial. mar. 29. Philostr. Her. pag. 694; qui arma adiudicaverunt Ulyssi. Rem tangit Homerus Od. λ, 549; ε, 310 sqq. Agamemnonem et Menelaum arma Ulyssi tribuisse narrat Hyginus f. 107. In furorem actus Aiax greges Graecorum invasit et magnam in pecoribus stragem edidit, e quo furore cum ad se redisset, se ipsum necavit, et eo quidem gladio, quem ab Hectore acceperat, Il. η, 303; Sophocl. Ai.; ut Hector balteo, quem ipsi Aiax dederat, ad currum Achillis alligatus esse fertur, Hyg. 107. Haec est vulgata narratio; vide praeter auctt. ll. Procli exc. ex Iliade parva; Pindar. Nem. VII, 37 sqq. Isthm. IV, 20; et Schol. ad l. l. et ad Nem. VIII, 46; Sophocl. in Aiac. Eurip. Helen. 94. Ovid. Met. XIII, in. Paus. I, 35, 4; Tzetz. Posthom. 483, ad Lyc. 454. Philostr. Her. pag. 653; 694; Lucian. V. Hist. II, 7. Non super armis sed

super Palladio post captam Troiam ortum esse certamen Dictys (V, 14) narrat, et Ulyssi id gratia Atridarum et inprimis Menelai traditum esse, quoniam Aiax Helenam causam tot malorum interficiendam censuisset; qui se deinde interfecisset contumeliae impatiens; cf. Ioann. Mal. 144; Schol. ad Il. ζ, 311. Suid. s. v. *Παλλάδιον*. Non defuere tamen, qui aliter narrarent: Anticlides Paridis sagittis eum interfectum narraverat, argum. in Sophocl. Aiac.; Tzetz. ad Lyc. 464; aut luto a Troianis e muro desuper iniecto eum, cum portas urbis oppugnaret, suffocatum esse; quam fabulam tangit Dictys IV, 20. Sic autem is narrabat, qui Aiacem ferro vulnerari non potuisse contendebat, nam Hercules eum leonina pelle texerat, cf. Tzetz. ad Lyc. 455. Philostr. Heroic. pag. 693; qui nomen eius inde derivat, quod aquila ad eum precante Hercule advolasset, alii tamen alia de nomine eius.

Menestheus mortuum pro concione laudavit, Philostr. Her. p. 695; Graeci eum per triduum luxerunt et in Rhoeteo sepeliverunt; ad quod sepulcrum eius post naufragium Ulyssis arma fluctibus delata sunt: Paus. I, 35, 4; Hephaest p. 249. Flentem Ulyssem ea ad mortuum detulisse narrat Philostr. l. l.

CAPUT XV.

NEOPTOLEMUS ET EURYPYLUS.

Finis Aethiopidis Arctini erat narratio de morte Aiacis, res deinde gestas exposuit Lesches in Iliade parva, ita ut initium carminis faceret ab armorum iudicio, finem vero in simulato Graecorum reditu et in equo ligneo in urbem a Troianis advecto. Qui easdem res praeterea enarraverunt, non tam in rebus ipsis quam in temporum ratione dissentiunt: sic Lesches primum Philoctetam, tum Eurypylum, *post* eum Neoptolemum advenisse narrabat; Quintus *primum* Eurypylum tum Neoptolemum deinde Philoctetam adductum esse dicit, quem potissimum sequitur Dictys et Tzetzes.

De Philocteta nos quidem iam egimus; Eurypylus autem ille erat filius Telephi, Mysorum regis, cuius adventum memorat Homerus Od. λ, 520 sq. qui locus multis grammaticorum dubitationibus obnoxius erat. Socios enim, quos adduxit, Ceteii dicuntur (*Κητεῖοι*), cf. Dict. IV, 14; Quint. VI, 135, nomen derivatum est a Ceteio amni, qui in Caicum influit; Strab. XIII, pag. 921, aliter saltem expediri nequit. Advenisse autem dicitur commotus multis donis a Priamo missis ipsi et matri eius Astyochae, Priami sorori, in quibus aurea vitis, quam Iupiter Troi pro rapto Ganymede donasse fertur, praecipue memorabilis erat. Eustath. ad Od. λ, 520 et Schol., qui ea ex Acusilao affert, (Sturz. fragm. pag. 220.)

Serv. ad Ecl. VI, 72. Hephaest. ap. Phot. p. 252, sicque grammatici explicabant Homericum γυναίων εἵνεκα δώρων, alias, quas tentaverunt, rationes vide apud Eustathium, e quibus eius, quae huc pertinet, de filia Priami ipsi in uxorem promissa, alibi vestigium invenire me non memini. Recte praeterea Eustathius exemplo Eriphyles utitur, ut illam narrationem non abhorrere ab ingenio antiquitatis ostendat. Matrem eius a Tzetza secundum aliam narrationem ubique Hieram dici supra commemorabam.

Hic itaque Eurypylus advenit et pugnam cum Graecis commisit, in qua Nireum et Machaonem occidit et ita hostes afflixit, ut Troiani extra muros castra ponerent, ita Quintus VI. De Nireo et Machaone reliqui consentiunt, de hoc cf. praeter Leschen et Dictyn Paus. III, 26, 9; Tzetz. Posth. 522; quanquam Orpheus (Lapid. 343) eum post Eurypyli mortem vulnus Philoctetae sanasse dicit. Ossa eius in patriam secum advexit Nestor. Paus. III, 26, 10. Iterum deinde proelium initur, in quo Eurypylus Peneleum necavit; cf. Dict. IV, 17; Pausan. IX, 5, 15. Tryphiodorus autem eum in iis, qui in equum ligneum ascenderint, enumerat (vs. 180), et Virgilius ab eo in excidio Troiae Coroebum necatum esse narrat Aen. II, 425.

Per biduum bellandi requies facta est, et Neoptolemus advenit; cum oraculum Graecis editum esset, sine Aeacida Troiam expugnari non posse. Ab Ulysse advectus est (Od. λ, 507) e Scyro, ubi eum natum et educatum esse Strabo dicit IX, p. 667. B; cf. Serv. ad Aen. II, 263; 417. Quintus VII, 431 comitem addit Ulyssi Diomedem. Fuere, qui Scyrum hanc non insulam sed Dolopum urbem esse dicerent: Eustath. ad Od. l. l. Non solus advenit, sed milites secum duxit, cf. Sophocl. Philoct. Schol. Eurip. Hec.

21; I. Malel. pag. 131, quod Virgilii „Scyria pubes" quoque innuit II, 477. Nomen ei fuit Neoptolemi aut Pyrrhi; hoc, ut Pausanias (X, 26, 4) ait, ei Lycomedes tribuit, a coma ut Tzetzes tradit Posth. v. 525; illud Phoenix, quod pater eius admodum iuvenis in bellum profectus esset.

Non adductum eum sed sua sponte advenisse narrat Dictys; adveniens ad naves et tentoria parentis contendit, ubi Hyppodamia omnia bona paterna ipsi custodiebat, cf. Tzetz. Posth. v. 542. Eo cuncti duces conveniunt, quos benigne excipit, ipse ab Agamemnone ad coenam invitatur; in posterum diem bellum indicit, sed ab Ulysse et Diomede ipsi suadetur, ut biduum interponeret ad reficiendos quiete militum animos, Dict. l. l. Tzetz. Posth. v. 540.

Cruenta deinde pugna facta, in quam Neoptolemus indutus patris armis procedit; Procl. exc. ex Il. parv. Quint. VII, 445, sed nox eam dirimit; et *altero* die Neoptolemus et Eurypylus congressi certamine decertant, in quo Eurypylus necatur, Quint VIII, 200. Uno proelio debellatum esse Dictys l. l. c. 17 narrat, Leschen, ut videtur, secutus, et Tzetz. Posth. v. 550 sqq. Idem Eurypylo necato Troianos statim fugisse, Quintus autem Helenum eos ad pugnam incitasse dicit, qui Aeneam quoque enumerat in iis qui fortissime pugnassent, cf. VI, 521; 622; X init. quem Dictys intra muros mansisse ait aspernantem bellum et facinus in Apollinem, cuius templum caede Achillis Paris polluerat, detestantem. Respexisse videtur ad Il. ν, 460.

Troes deinde ad sepeliendos mortuos inducias petierunt et Eurypyli funus curaverunt, Quint. IX, v. 1 — 80, cuius ossa Graeci, qui mortuum in castra sua detulerant, patri ob amicitiam remisisse dicuntur ab aliis, ut Dictye (IV, 18). Eurypylum et Neoptole-

mum singulatim cum suis quemque militibus certasse tradit Philostratus Imagg. 10 cf. intpp. p. 630.

Sed ante omnia haec statim post Aiacis mortem Helenum ab Ulysse insidiis captum esse narratum erat in Iliade parva, et eius potissimum vaticiniis obtemperantes Grcecos Philoctetam et Neoptolemum adduxisse, cf. Procl. exc. Sophocl. Philoct. 605, Ovid. Met. XIII, 99. Ad Arisben eum captum esse Servius tradit ad Aen. II, 166; affert autem aliam quoque narrationem, eum in Idam montem secessisse et ibi monente Calchante, aut Chryse, ut Dictys tradit, captum esse ab Ulysse, cf. Conon. narr. 34. Alii ad Achivos eum perfugisse narrant, ut Tryphiod. 45. Tzetz. Posth. 571; cumque postea Antimachi filii eum reconciliare rebus Troianorum studerent, capti et lapidibus obruti sunt, Dict. IV, 21; Homerus Il. λ, 122, 143 sqq. eos ab Agamemnone in pugna occisos esse narrat.

CAPUT XVI.

PARIS OCCISUS, DEIPHOBI ET HELENAE NUPTIAE.

Tertio post caedem Eurypyli die (Dict. IV, 19) in pugnam ab utraque parte copiae productae sunt; belli auctores Deiphobus et Aeneas apud Quintum IX, 80; X, 1 — 45 nominantur, quanquam Polydamas, ut intra muros se defenderent, suadebat. In ea pugna Paris a Philocteta, cum quo singulari certamine sagittario congressus erat, necatus esse dicitur a Lesche (cf. Procl. exc.), et cadaver eius a Menelao

contumeliose laceratum Troiani sepeliverunt. Certamen illud accuratius eodem modo enarrant Dictys (l. l.), Tzetzes ad Lyc. 64; Posth. 586 sqq. Ioannes Malelas (pag. 140). Scilicet Philoctetes fortissimum Troianorum, qui secum sagittis certare vellet, provocavit, quod cum Paris suscepisset, Deiphobus et Ulysses spatium definiverunt. Tum primus Paris sagittam incassum misit; Philoctetes autem sinistram eius manum prima, dextrum oculum altera, utrumque pedem tertia sagitta transfixit et eum necavit. Sed Quintus congressos quidem certamine, una tamen sagitta vulneratum Paridem aufugisse tradit X, 225. Profugit vero Paris ad Oenonen, quam ante Helenam uxorem habuerat, et quae sola ei vulneri mederi poterat. Cumque supplex ab ipsa auxilium peteret, repulsus est ab irata muliere pertinaciter abnuente et mortuus. Quem mortuum cum conspexisset Oenone, poenitentia simul et recordatione pristini amoris commota semet ipsam suspendit; Apollod. III, 12, 6; Conon narrat. 23; Tzetzes ad Lyc. 62, qui Oenonen a patre, ne Paridi mederetur, prohibitam esse tradit, e Dictye, ut ait; noster autem Dictys ad Oenonen Alexandri funus dicit perlatum esse, ut sepeliretur; quo viso ita commota esset, ut mortua concideret et cum Paride eodem rogo combureretur; qua narratione immutavit antiquam famam, quam Quintus (v. 261) sequitur, eam se in rogum iniecisse. Lycophron tradit (v. 62) eam se e turri praecipitem dedisse; cf. Tzetz. Posth. 597.

A Menelao occisum esse Parin femore hasta transfixo narrat Hephaestion (ap. Phot. p. 250. l. 23.)

Pugnam interruptam illo certamine utrique acrius deinde continuant hinc Neoptolemo illinc Aenea et Polydamante ducibus, qui adeo Graecos in fugam compellunt, Quintus XI, 1 — 279. Egressos ex urbe

ad eripiendum Paridis cadaver Troianos id quidem consilium perfecisse sed pulsos deinde ab Aiace Telamonio et plurimos interiisse imprimis cum sine ordine in urbem confluerent, narrat Dictys (IV, 20); urbs ipsa adeo oppugnata est et capta eo die foret, ni nox oppugnationis finem fecisset.

Post mortem Paridis Deiphobus Helenam uxorem duxit: Procl. exc. ex Il. parv., cuius rei fama in ipsius Homeri carminibus superesse videtur (Od. δ, 276; ϑ, 517) et antiqui praeterea auctores afferuntur Ibycus et Simonides a Scholiasta ad Il. ν, 517. Priamus eius nuptias fortissimo in pugna praemium proposuisse narratur, sicque obtigit Deiphobo, cf. Schol. ad Il. ω, 251, qui ea ex Lycophrone (v. 143) affert. Rixas inter Helenum et Deiphobum, uter eam duceret, exortas esse tradit Conon (narr. 23), illumque, quod Deiphobi uxor facta esset, indignatum ad Graecos destitisse; cf. Tryphiod. 45; vi eam raptam esse ab illo Euripides (Troad. 958) refert, quam ipsam narrationem latius exposuisse Dictys (IV, 22) videtur, cum post seditionem Troianorum, quibus spes et animus indies magis deficiebat, exortam ab omnibus decretum esse tradit, ut Helena cunctaque cum ipsa allata Graecis redderentur; quod cum rescivisset Deiphobus, eum Helenam sibi matrimonio iunxisse.

Urbem deinde oppugnatam esse undique narrat Quintus (XI, 329 sqq.) divisis secundum portas ducibus, in quo narrationis modo Aeschyli me non monente quivis meminerit, ut Epigoni ab eo urbem Thebarum oppugnasse dicuntur. Simile aliquid Lesches narravit, quod Proclus in excerptis paucissimis verbis innuit (καὶ οἱ Τρῶες πολιορκοῦνται), sed post Eurypyli mortem, quam postremo loco enarrabat. Cum autem armis atque vi parum efficerent; ad dolum confugerunt Calchante auctore, ut Quintus (XII,

1 sqq.) tradit, et Ulysses equum ligneum eos iussit aedificare. Repugnabant quidem Ulyssis consilio Neoptolemus et Philoctetes, qui utique vi agendum esse censebant, sed Epeus institutum opus absolvit. Minervae consilio usos esse Graecos narraverat Lesches; alii ad Helenum auctorem equi fabricationem referunt.

Haec est vulgaris narratio, a qua multum abhorret Dictys, qui si unquam alibi in narrando Troiae excidio fabulas mirum et miserum in modum conglutinat atque commiscet. Inprimis ille Aeneae atque Antenoris pacis studia describit, cum illi pater vaticinans futurum urbis excidium praedixisset (IV, 18), hic autem a prima legatione Menelai et Ulyssis Graecis usque amicus reddi Helenam iussisset. Hi itaque habuerunt concilium, in quo placet, ut Antenor legatus ad Graecos de pace mitteretur. A quibus benigne acceptus quale suum semper erga eos *studium* fuerit praedicat, affinitatem Troianorum et Graecorum multis etiam exponit, postulat deinde, ut eligerent ex ipsis, cum quibus ageret de pacis conditionibus. Electi itaque Agamemnon, Idomeneus, Diomedes et Ulysses, cum quibus seorsum ab aliis proditionem componit; et Aeneae quidem promittitur pars praedae et domum universam eius incolumen futuram, Antenori autem dimidium bonorum Priami et regnum uni filiorum eius, quem ipse delegisset, concessum iri.

Antenor reversus ad suos affert longe alia, in quibus donum Minervae parari a Graecis equum ligneum, Graecos recepta Helena et auro redituros esse in patriam.

Unde ea narratio de Aeneae proditione originem duxerit, iam olim quaesitum est et nunc quaeritur. Iliadis loci de ira eius deque regno Troiano, quod

ipsi post Ilii excidium et posteris eius fato constitutum esset, fundum praebuisse videntur. De Antenore proditore antiqua fama est; ex Lesche id expressisse dicitur Polygnotus, cf. Paus. X, 27, 3; adde Pind. Pyth. V, 106. Quae ab his dissentiunt et ab aliis aliter tradita sunt, infra, ubi de erroribus utriusque agetur, pluribus exponemus.

CAPUT XVII.

ULYSSES SPECULATOR, RAPTUM PALLADIUM.

Longus deinde Dictys est in narrandis iis, quae dolo et arte Ulyssis et Diomedis fortitudine gesta esse antiquissimorum poetarum narratio erat. Celebratissimum Ulyssis facinus erat, quod Homerus paucis enarrat (Od. δ, 244 sqq.), eum verberibus semet ipsum conscidisse et servili habitu deformatum in urbem hostium venisse; quem cum ceteri omnes non agnoscerent, sola Helena agnovit et ex ipso omnia consilia Graecorum rescivit. Pluribus eandem rem Lesches enarraverat (cf. Procl. in exc.), venisse eum speculatorem et cum Helena, quae eum agnovisset, de excidio urbis consilia iniisse; scilicet ut ipsa Graecis signum face daret in funesta illa nocte, vide Virg. Aen. VI, 517; Tryphiod. 498 sqq. Speculator autem venerat ad cognoscendam arcem templique situm, in quo Palladium custodiebatur, quod deinde ab ipso et Diomede raptum esse idem Lesches narrabat. Procli

locum, cum multum ad intelligendam rem omnem fa-ciat, integrum adscribam: Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενο ἑαυτὸν κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται καὶ ἀνα-γνωρισθεὶς ὑφ᾽ Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεω συντίθεται, κτείνας τέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦ ἀφικνεῖται καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλ-λάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου.

Euripides (Hecub. 239 sqq. cll. Schol.) Helenam quae agnovisset Ulyssem dicit, id soli Hecubae indicasse, ad quam supplex se convertisset Ulysses obtestans et obsecrans, ne se aliis proderet; ibi Scholiasta aliam fabellam nescio an invenit, an adscripsit, Helenam prodidisse eum Troianis, Ulyssem itaque ad Hecubam confugisse et ab ea dimissum esse. Idem Eurypides (Rhes. 497 sqq.) Hectorem inducit narrantem Rheso hanc Ulyssis fraudem, qua Palladium rapuerit et urbem exploraverit et custodibus portae interfectis salvus elapsus sit; quod quantopere contra omnem temporum rationem, qualem antiquiora carmina observabant, ab Euripide fictum sit, nemo non videt, (cf. Schol. Vat. ad eum l.). Non ab Helena aut Hecuba sed ab Antenore Ulyssem agnitum et dimissum esse, Sisenna narraverat, Serv. ad Aen. I, 242.

Quod Tzetzes (Posthom. v. 617 sqq.) se nescire profitetur, quando a Troianis captus et ab Hecuba dimissus sit Ulysses, an cum speculator in urbem venisset, an cum Palladium rapuisset, id facile nunc expediri poterit. Haec quippe res tragicis et comicis poetis argumentum fabularum suppeditaverat, a quibus tota illa narratio de Hecuba sine ulla ratione ficta, Ulyssis autem fraudes confusae erant, ut illud Euripidis exemplum satis aperte demonstrat.

Oraculum editum fuerat Graecis, Troiam nisi erepto ante Palladio expugnari non posse, cuius oraculi auctorem aut Helenum aut alium afferunt, cf.

Tzetz. ad Lyc. 658; Dict. V, 9. Describitur id Palladium ab Apollodoro III, 12, 3; Minervam genitam apud Tritonem educatam esse, cui filia erat Pallas. Utramque puellam aliquando rixatas esse, et cum Pallas Minervam vulneratura esset, Iovem Aegida ante ipsam praetendisse, cumque Pallas suspiceret, ab Minerva eam vulneratam et occisam esse; quam deinde lugentem mortem amicae simulacrum eius affabre factum apud Iovem constituisse et in honore habuisse. Hoc simulacrum Electra deinde in terram Troianam deiecit, et Ilus templum ei condidit. Haec itaque Apollodorus, quem exscripsit Tzetzes ad Lyc. 355. Alia vide apud Schol. ad Il. ζ, 92: fuisse qui dicerent, id Palladium, quod coelo delapsum esset, cute humana indutum esse, et colum tenere et vittas et in capite urbem, in dextra manu hastam ferre; alios autem ex ossibus Pelopis id fabricatum esse narrare. In iisdem Scholiis quaeritur, num Palladis simulacra erecta an sedentia ab artificibus ficta fuissent, et ad vers. 311 grammaticus respondet, minuta et lignea Palladis simulacra fuisse; tale quoque artifex in tabula Iliaca et erectum quidem expressit. Seriores fabularum enarratores dicunt, Palladium ab Asio quodam artifice et philosopho fabricatum fuisse, cf. Schol. ad Il. ζ, 311, Tzetz. ad Lyc. 355; Suid. s. v. Παλλάδιον; qui de Palladio coelitus delapso omnia poetarum commenta esse ait. Duo Palladia a Diomede et Ulysse rapta esse Ptol. Hephaestion (ap. Phot. p. 246) narrat; verum atque genuinum mobilitate oculorum et hastae discerni potuisse tradit Servius ad Aen. II, 166.

Hoc itaque Palladium ab Ulysse, cui tamen multi comitem addunt Diomedem, raptum esse ex arce Troiana vulgata narratio est, cf. Paus. I, 22, 6; Quint. Sm. X, 350, Virg. Aen. II, 164; Serv. ad Aen.

II, 166; qui eos aut cuniculis aut per cloacas in ar cem evasisse putat; Ovid. Met. XIII, 345; Fast. VI 430. Narratur etiam, cum rapto Palladio in castra redirent, Ulyssem, quo solus eius facinoris effector videretur, praeeuntem Diomedem in itinere interficere voluisse; hunc autem, cum id ad lunae splendorem cognovisset, gladio stricto Ulyssem, ut anteiret, coegisse; Conon narrat. 34. Serv. l. l.

Reverso ex legatione Antenore consilium Troianorum habitum esse Dictys narrat, in quo placuit, ut ipse et Aeneas iterum legati ad Graecos mitterentur; qui missi in castra inde Ulyssem et Diomedem secum in urbem abduxerunt, cum quibus de conditionibus pacis ageretur. Ex eorum et Troianorum consilio itaque primum Antimachus ex omni Phrygia exulare iussus est, auri autem et argenti binis millibus talentorum tandem post multas tractationes res decisa est, cf. Ioann. Malel. pag. 143.

Per idem tempus ruina camerae liberi, quos Helena ex Paride genuerat, extinguebantur, quorum nomina Dictys exhibet (V, 5) Bunomum, Corithum et Idaeum. Eustathius (ad Od. δ, 3) Helenum et Corithum nominat; sed idem alio loco (ad Il. γ, 40) e Dionysio Dardanum affert; quatuor enumerat Tzetzes ad Lycophr. 851 et Hom. 440: Bunicum, Corythum, Aganum et Idaeum; Ioannes Malel. pag. 140 recenset Bunymum, Corythaeum et Idaeum. Num Bunomus aut Bunicus verum nomen sit, discernere non licet, Corythus autem profecto non Corithus scribendum est, de quo legatur Parthen. Erot. 34; Paridis eum et Oenones filium fuisse; qui cum Troiam venisset ab Helena prae ceteris benigne exceptus, et a patre, qui ne novercam amaret timebat, occisus esset; e Nicandro autem affert eum Paridis et Helenae filium fuisse.

Uti hanc rem omnes deorum iram portendere credebant, ita aliud et dirius portentum animos hominum terruit. Impositas enim in aris deorum Minervae et Apollinis victimas aspernabantur dii, neque ignis admotus eas consumsit, sed omnia disturbata in terram deiiciebantur. Quorum partem aquila raptam cum ad Graecornm castra tulisset, Cassandra ad Hectoris tumulum rem sacram transferri iussit, ubi tranquille omnia more solito in deorum honorem igne absumta sunt. Eadem praeter Dictyn narrant Ioann. Mal. p. 142 et Tzetz. Posth. 605, qui hoc ipso portento commotos Troianos ad Graecos de pace legatos misisse tradit. Dictys autem Calchantem inde Graecis, brevi eos rerum omnium dominos fore, vaticinatum esse dicit; Antenorem quoque ipsum Ulyssi Palladium tradidisse, postquam ab uxore, ut id e templo afferret, precibus vi mixtis impetrasset; quae eadem afferunt Schol. ad Il. ζ, 311; Tzetz. Posth. 510; Io. Mal. p. 137. Sic cum ad naves rediissent et singula quaeque exposuissent, placuit, ut Minervae donum offeretur; accitus Helenus equum ligneum donum urbi fatale esse edixit.

CAPUT XVIII.

EQUUS LIGNEUS; TROIAE EXCIDIUM.

Omnes scriptores eundem consilii huius de equo ligneo exstruendo auctorem non tradunt; Helenum praeter Dictyn Conon narr. 34 et Tryphiodorus v. 44 nominant, Leschem, ut videtur, in eo secuti, qui He-

lenum Graecis fata de excidio patriae aperuisse narrabat. Ulyssem excogitasse fraudem illam tradit Philostratus Heroic. pag. 674; Calchantem id suasisse a Quinto memorari supra dicebam; Minervae auxilio et consilio equum fabricatum esse Homeri narratio est cf. Od. ϑ, 493; δ, 271; Il. o, 71; Virg. Aen. II, 15; Hyg. 108. Epeus Phocensis, cuius genus explicat Pausanias II, 29, 4; cf. Eurip. Troad. 10; Tzetz. ad Lyc. 52; 932, equum tabulatum subiectis rotis superstruxit, in cuius alvo cava fortissimi quique absconderentur; cf. Hom. Od. ll. ll. Lesches et Stesichorus ap. Eustath. ad Od λ, 512. Quint. Sm. XII; Tryphiod. 57. Virg. Aen. II, 18. Heyn. exc. III ad Aen. II. De numero eorum, qui ascenderint, minime inter eos auctores convenit, centum fuisse Stesichorus narrasse dicitur, alii duodecim tradiderunt, Eust ad Od. l. l. triginta enumerat Quintus XII, 313 sqq.; viginti tres Tryphiodorus, quem numerum se probare ait *Tzetzes* ad Lyc. 930; alii quinquaginta alii tria millia enumerabant, Tzetz. Posth. 676. cf. Athen. XIII, p. 610, B. Achivorum fortissimos in equo absconditos fuisse Dictys non narrat, multis autem ordinem sacrorum, quibus pax Achivos inter et Troianos publice confirmata esset, describit, quae eadem Ioannes Mal. p. 142 sq. exhibet. Tum auro argentoque ad naves delato cum universa classe ad Sigaeum recesserunt; et relictus adstabat ligneus equus.

Leschen exceperat Arctinus, et excidium Troiae singulari carmine, quod Ἰλίου πέρσις inscriptum erat, enarraverat, cuius argumentum Proclus nobis servavit. Sic autem ille. Postquam Graeci abcesserant, consilium habebant Troiani, quid de equo illo esset faciendum; alii eum praecipitandum in mare, alii comburendum, alii donum Minervae sacrum in urbem attrahendum et in arce statuendum esse censebant;

cf. Virg. II, 36 sqq., quorum cum vicisset sententia, Troiani laeti convivium celebrabant, quod tandem a malis diuturni belli liberati essent sibi gratulantes.

In illis, qui equum delendum neque in urbem attrahendum esse arbitrabantur, clarus prae ceteris erat Laocoon, Neptuni aut Apollinis sacerdos, Virg. Aen. II, 201, ibique Serv.; Hyg. 135. Servius ex Euphorione affert, Laocoontem, qui Neptuno constitutus sacerdos erat, a Troianis, cum Graeci advenissent, occisum esse, quia eorum adventum sacrificiis non prohibuisset, hunc autem Apollinis sacerdotem sorte a Troianis ductum esse, ut Neptuno nunc propter abscessum Graecorum sacra faceret. Fuit ille, ut loco corrupto ait Hyginus, Acoetis filius et Anchisae frater; Antenoris eum filium fuisse Tzetzes ad Lyc. 347 tradit. Qui non auctor modo evertendi equi Troianis exstitit, sed dux quoque et princeps eius facinoris hastam in equum vibravit; ob quod piaculum ipse et alter filiorum eius a serpentibus divinitus immisis dilaniatus est; cf. Procl. exc. ex Arct. Quintus autem statim terram motam numine et Laocoontem terrore obstupefactum esse tradit, postea e Calydnis insulis serpentes immissos filios duos eius devorâsse et ipsum occoecatum esse; a quibus paulo alia sunt, quae Virgilius loco notissimo narrat. Aliam causam mortis eius afferunt Hyginus et Servius ll. ll, quod aut uxorem contra Apollinis voluntatem duxisset, aut ante simulacrum dei cum uxore concubuisset; iidem auctores nomina filiorum afferunt, Antiphontem et Thymbraeum Hyginus, Ethronem et Melanthum Servius.

Non Laocoon tantum sed Cassandra quoque, ne equus attraheretur, restitisse dicitur: Quint. XII extr. Tryphiod. 358; Tzetz. Posthom. 708; Virg. Aen. II, 246; Hygin. 108; vid. tab. Iliac.

Non illud portentum solum poenaque subita coontis animos Troianorum confirmavit. sed alius que erat, quod insuper sententiam, quam habe stabiliret. Sinon aliquis, homo callidus et ver qui adeo Ulyssis affinis dicitur, cf. Tzetz. ad 345, a Graecis relictus erat, ut Troianos de e equi religione et de oraculo propterea edito ac tius edoceret. Quo maiorem fidem haberet e ipse verberibus deformaverat, quod a Graecis fa esse simulabat, qui in ipsum pacis auctorem et mum reditionis suasorem irati fuissent. Neque men satis rei confidebant Troiani, sed tormentis nonem, ut veritatem ediceret, permovere conaba Quint. XII, l. l. Qui cum strenue et constanter data peregisset, eo acrius equum attrahendum censebant, cf. Procl. exc. ex Arct.; Quint. XII, Tryphiod. 220; Tzetz. Posth. 680. Moenia itaque sciderunt et equum in urbem advexerunt. Cum nox facta esset, a Sigeo classis Graecorum rediit, Sinon claustra equi laxavit, et face sublata reliquis de fe lici rei eventu signum dedit, Procl. ex Arctin. Tr l. l.; aut, ut Scholiasta Euripidis (ad Hecub. 8 narrat, egressi ex equo Graeci adiuvantibus Troi proditoribus in moenia ascenderunt et advocaverunt reliquos; aut ut, ad v. 909 tradit, hi ipsi antea adv nerunt et iis qui intra urbem erant acclamaverunt ut aperirent portas.

Dispersi igitur per urbem Graeci cruentam ubi que omnis generis stragem ediderunt, Aeneae tantum et Antenoris aedibus custodes, ne laederentur, appo suerant. Troianorum interea, qui clamore et strepitu expergefacti erant, arma capiebant, ut pro salute di micarent; maximum autem proelium fiebat ad aedes Deiphobi, ubi Helena erat, cf. Od. ϑ, 517, et post acerrimam pugnam Menelaus et Ulysses tandem victo-

xtiterunt; Deiphobum ipsum non modo interfe- Menelaus sed etiam crudeliter et contumeliose -us eius truncavit; cf. Procl. exc. ex Arct., it. XIII, 354; Tryphiod. 626; Tzetz. Posthom. Virg. Aen. VI, 494. cll. 526. Dict, V, 12. Fue- tamen, qui Deiphobum ab Helena occisum esse rent, Hyg. 240.

Priamum, qui ad aram Iovis Hercaei profugerat, qua ara et de Iovis in ea posito simulacro vid. us. II, 24, 3, Neoptolemus ibidem occidit; Arctin.; rip. Troad. 17; Hecub. 23; Quint. XIII, 222, Try- od. 634. Tzetz. ad Lyc. 335. Posth. 732; Pausan. 17, 4; Virg. Aen. II, 545. Servius ad Aen. II, 506 otum in domo sua Priamum a Neoptolemo ad tu- ulum Achillis raptum et ibi occisum esse tradit; ab a foras tractum et necatum esse e Lesche affert aus. X, 27, 2; cf. Heyn. exc. 11 ad Aen. II.

Cassandram Aiax captivam e templo Minervae ostrahit; Proclus ex Arctino: *Κασσανδράν δὲ Αἴας ἰλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθη- ᾶς ξόανον.*; cf. Paus. V, 19, 5; Philostr. Imagg. II, o et intpp. pag. 458; Strab. VI, p. 405. B.; Virg. l. 404; Tzetz. ad Lyc. 363. Multos autem idem Tzetzes (cf. ad 357; 361) tradere ait, vim intulisse Cassandrae Aiacem in ipso templo ante simulacrum deae, quae prae pudore oculos avertisset, cf. Quint. XIII, 421. Serv. ad Aen. I, 41; II, 414.

Quod Virgilius (II, 761) ait praedam in Iunonis templo custoditam esse, id nescio an aliam famam secutus Dictys (V, 11) innuit, tributum quod imperatum Troianis fuisset in aedem Minervae collatum esse.

Urbe devastata de praeda atque de captivis agi coeptum est: in quorum numero Helena quoque habebatur. Arctinus quidem narravit, eam occiso Dei-

phobo a Menelao ad naves deductam esse sequens ut videtur Homeri narrationem, in cuius carminibus nulla de ira Menelai in pristinam uxorem exstat memoria. Quintus autem (XIII, 385, cf. Tryphiod. 60: dicit, Menelaum ubi eam vidisset, ita ira exarsisse, ut occidere eam voluisset, interventu tamen Veneris liberata est; hoc idem in pictura expressum viderat Pausanias (cf. V, 18, 3); et Euripides quoque (Troad. 1050 cl. 35) eum fabulae ordinem sequitur. Dictys ceteros principes et Aiacem potissimum Helenam morte mulctare voluisse tradit V, 14, et Achillem quoque talem poenam Helenae minitantem induxerat antea III, 23, ut plurium et tragicorum quidem poetarum narrationem eam fuisse dubitari nequeat. Graecos, qui lapides iam ut eam necarent, cepissent, *aspectu* mulieris ita commotos esse, ut lapides statim abiicerent, narrabat Stesichorus, cf. Schol. Eur. ad Or. 1287.

Polyxena, quam Achilles amaverat, ut inferias ei mitteretur, aut Ulysse (Dict.) aut Calchante (Serv. ad Aen. III, 322) auctore Graecis placuit; Quintus autem per insomnium Neoptolemum a patre monitum esse ait, ut sibi eam immolaret, XIV, 185, cf. Senec. Tr. 193; Hyginus fab. 110 voce ex Achillis sepulcro emissa eam ad mortem ductam esse, Achillem ipsum in sepulcro aut tumulo apparuisse et eam sibi immolari postulasse tradit Euripides Hec. 38. De loco, ubi immolata sit, inter eosdem auctores non convenit, plurimi id ad Troiam factum esse narrabant, Euripides vero in Hecuba in Thracica Chersoneso ad tumulum, quem Achilli Graeci ibidem extruxerant, interfectam eam a Neoptolemo dicit; artifex tabulae Iliacae illam narrationem expressisse videtur. Eam semet ipsam statim post Achillis mortem necasse ait Philostratus Heroic. pag. 713; vit. Ap. Th. IV, 5, p. 172 D; vulgatam narrationem referunt Virg. Aen. III,

122; Tzetz. ad Lyc. 323; Posth. 496; Dictys, l. l. Ioann Mal. p. 141. Ovid. Met. XIII, 444; Pausan. X, 25, 10.

Ex aliis captivis Cassandra Agamemnoni data est, cum, ut Dictys ait, amorem eius virginis palam fateretur, cf. Quint. XIV, 20; Ovid. Am. I, 9, 37; Senec. Troad. 975; res ipsa e tragicis poetis notissima. Aiacis enim facinus Graeci adeo improbabant, ut eum lapidibus necare vellent, quam instantem perniciem vix evitavit, cum ad Minervae aram suplex profugisset; Procl. ex Arctino. — Pausanias X, 31, 1 Ulyssem auctorem eius consilii nominat; in iudicio eo, ut videtur, quod Graecorum principes de ea re habebant (cf. I, 15, 2; X, 26, 3) ita faciendum esse censebat Ulysses.

Aethra et Clymena Demophoonti et Acamanti conceditur; Lesches, in fragmento illo Procli narrabat, Aethram a nepotibus inventam et abductam esse, cf. Quint. XIII, 496. Pausanias X, 25, 7 et 8 e Lesche affert, Agamemnonem petenti Demophoonti nonnisi precibus Helenae commotum avam ut abduceret concessisse; Clymenam idem Stesichorum secutus in captivis enumerat X, 26, 1; quaestio autem de his mulieribus exoriri poterat, quod Helenae raptum adiuvisse eas aut amorem eius erga Paridem confirmasse traditum erat; cf. supra cap. V.

Andromachen Neoptolemus accepit, Lesch. ap. Procl.; Quint. Sm. XIV, 20; frequentissime id commemorant tragici, cf. Eurip. Androm. Troad. 616; Virg. Aen. III, 295 sqq.; Paus. X, 25, 9; Strabo XIII, pag. 888. B. Cum ea Helenum quoque a Neoptolemo abductum esse iidem narrant, adde Dict. V, 9. Inepte agit Scholiastes Euripidis ad Hecub. 87 (83 Matth.), qui ex poetae verbis, quod is Ἑλένου ψυχάν dicat, coniicit, iam tum mortuum fuisse Helenum ibi nar-

rari. Id tantum ex Scholiasta efficitur, non legisse eum ut nunc legitur v. seq. *Κασάνδρας* sed *Κασάνδραν*.

Hecuba Ulyssi obtigit; Quint. XIV, 22; Eurip. Troad. saepe; Ovid. Metam. XIII, 425; Tzetz. ad Lyc. 1183. Pausanias e Stesichoro affert, eam ab Apolline in Lyciam transportatam esse X, 27, 2; cf. Euripid. Troad. 428. Eam Graeci cum multa principibus maledicta ingereret et omnia infausta exercitui precaretur, lapidibus obrutam necaverunt, sepulcrumque ipsi apud Abydum statuerunt, quod Cynossema propter linguae eius petulantiam appellabant, Dict. V, 16; cf. Plin. Hist. N. IV, 18 (pag. 107 Franz.) et Pollux I, 5, quem interpretes laudant; Strabo. XIII, 889, B.; Tzetz. ad Lyc. 315; 330. Ab Ulyssis militibus eam in Maronia occisam esse narratur in argum. Odysseae. (Schol. ad Od. ed. Buttm. p. 3). In canem eam mutatam esse alia veterum fabula *est;* Quint. Sm. XIV, 348; Eurip. Hecub. 1255; 1263. Hyginus (110 et 111) narrat, Hecubam se in mare praecipitasse et canem factam esse; Servius ad Aen. III, 6 eam, cum agnovisset occisi Polydori cadaver, flendo in canem conversam esse tradit, quum se praecipitare in mare vellet; quod ideo, inquit, fingitur, quia nimio dolore inaniter Graecis convitiabatur. Ovidius Met. XIII, 267 eam a Thracibus ob Polymestoris caedem lapidibus petitam et tum in canem mutatam esse narrat.

Hectoris filium Astyanactem e muris praecipitatum esse omnes antiquiores poetae uno ore tradunt, ab Ulysse eum deiectum esse narrat Lesches; Tryphiod. 646; Tzetz. Posthom. 734, Lucian. de sacrif. 6; aut suadente Ulysse id factum esse dicunt, Euripides Troad. 716; Ovid. Met. XIII, 415; Pausanias X, 25, 9 eum a Neoptolemo non tamen e communi

Graecorum sententia praecipitatum esse e muris refert ex Lesche; monente Calchante id factum esse, quia edictum oraculo fuerat, puerum, si adolevisset, patre fortiorem fore, et caedis auctorem aut Neoptolemum aut Ulyssem aut Menelaum fuisse, Servius narrat ad Aen. II, 457; III, 489. Aliam idem fabulam affert ex Abante, qui Troica scripserat, Troia capta Astyanactem ibi regnasse, et eum ab Antenore expulsum ab Aenea rursus in regnum restitutum esse; cf. Senec. Troad. 368. — Conon narrat. 46 reduces e Lydia filios Hectoris agros Troianos occupasse ait et Aeneam aufugisse; Scepsi ragnasse Hectoris filium Strabo XIII, pag. 904 secundum Demetrium Scepsium narrat; cf. Steph. Byz. s. v. Ἀσκανία.

Praeter Astyanactem, quem Homerus memorat Il. ζ, 361, alii auctores alios filios Hectoris nominant; sic Dictys III, 20 Astyanactem et Laodamantem, Scholiastes Euripidis (ad Androm. 222) ex Anaxicrate Amphineum et Scamandrium memorat, quorum ille, ut ait, interiit, hic ad Tanaidem venit; Conon l. l. Oxynium et Scamandrium Hectoris filios a Priamo, ut belli cladem effugerent, clam in Lydiam missos esse narrat; et Tzetzes ad Lyc. 1226 Romam ab Astyanacte et Sapernio Hectoris filiis conditam esse tradit. Dictys Hectoridas Heleno a Neoptolemo traditos esse refert V, 16.

Post haec omnia certamen de Palladio inter principes Achivorum exortum esse Dictys narrat, quem sequitur Ioann. Malel. p. 144. Quis Palladium acceperit, vario modo traditur; Dictys Diomedem id retinuisse narrat, V, 15; qui id postea Aeneae reddidisse dicitur, Malel. p. 212; Servius ad Aen. III, 407 Diomedem, oraculo ut Palladium traderet Troianis iussum, id Aeneae reddidisse narrat, cf. quae ad Aen. II, 166 dicit, quo loco Varronem eius narrationis au-

Homerus (Il. *υ*, 302 sqq.) ipsi post Troiae excidium fatis regnum Troianum deberi innuit; quam Homeri narrationem pluribus explicare conabantur insecuti auctores; Arctinus Aeneam ante captam urbem commotum portento illo Laocoontis in Idam secessisse narrabat, eumque Sophocles in Laocoonte sequutus erat; cf. Procl. et Dion Hal. I, 48. p. 120; alios ut ne ab Homero dissentirent, alia finxisse idem Dionysius refert, ut tempore expugnatae urbis a Priamo in Phrygiam Aeneam missum fuisse, vel non Troiae sed in oppido quodam maritimo eum habitasse, vel ex Italia eum in patriam rediisse; cf. Dion. I, 48, p. 122; 53, p. 136. — Tzetzes ad Lyc. 970 Troiam ab Aenea restitutam iterum ab Amazonibus eversam esse tradit. Fuerunt alii, qui non ipsum sed filium eius Ascanium post eversum Ilium Idam tenuisse et ibi regnasse traderent; cf. Demetr. Sceps. ap. Strab. XIII, p. 900 et 904. C; 907; Conon narr. 41. — *Dionysius* (I, 47) Ascanium a sociis regem petitum in agro Dascylitico primum regnasse, deinde Hectoris filios e Graecia reversos in regnum paternum restituisse narrat. Cum hac fortasse fabula Dictyis de rege Cebrenorum narratio, qui Aeneam et Antenorem reconciliavisset, coniungi potest.

Huic Ascanio aliud nomen Iuli fuit aut Euryleontis, Dion. I, 65, qui locus lucem affundit Servio ad Aen. IV, 159; alia is nomina Ascanii enumerat Dardanum et Laontodamum; quam huius nominis explicationem affert unde hauserit nescio, alios enim Ascanii fratres occisos esse non memini legere; illud, quod nomen Aeneae quoque fuisse dicit, cognomen tantum fuit, quique ita nominatum fuisse ipsum Aeneam tradebant, urguebant Homericum locum Il. *β*, 701. Praeter Ascanium tres alios Aeneae filios tribuebant Euryleontem, Romulum et Remum, Cephalo

Gergithius ap. Dion. I, 72, alii duos tantum Romulum et Remum, quos rursus alii Aeneae ex filia nepotes fuisse contendebant, Dion. I, 73; filias autem duas Aeneas genuisse dicitur in Arcadia, Agathyllus ap. Dion. 1, 59; cf. Paus. III, 22 11. — Quam variae praeterea fabulae de Ascanio fuerint, docere potest Stephanus Byz. s. v. Ἀσκανία, Γεντῖνος.

Alter fabulae ordo est, Aeneam e Troia abiisse, pace antea cum Graecis facta. Rem omnem, uti Aeneas urbe expugnata arcem aliquamdiu tenuisset, dein cum suis in Idam secessisset indeque foedere cum Graecis icto decessisset, ordine enarrat Dionysius I, 46, 47, et paulo aliter sed eundem ut apparet auctorem secutus Varro, cf. intpp. Virg. ad Aen. II, 217 pag. 315 ed Lion. Lesches in Iliade parva eum a Neoptolemo captivum abductum esse dixerat; quae Conon narr. 46 exhibet, confusa sunt et mutila et non uno loco corrupta, Aeneam post excidium Ilii iussu Veneris orientem versus migrasse, ad Hellespontum venisse ad Thermum sinum, ubi patrem mortuum sepelisset, tum in terram Brusiada profectum ibi ab offerentibus incolis regnum accepisse et urbem Aeneam condidisse, quae postea Aenos nominata esset. — In Italiam eum venisse omnes Romani scriptores affirmabant, Dion. I, 49. De erroribus, quibus circumactus tandem in eam terram, quam iusserant oracula, venerit, Heynius excursu I, ad Aen. III satis egit, alia vero Niebuhrius V. Ill. in historia Romana (I, pag. 198 sqq.) docet, ut quam brevissime ea hoc loco adnotare sufficiat. Primum igitur Thraciam appulit, Pallenen, ut Dionysius (I, 47 et 59) ex Hellanico ait; Bistoniis habitatam terris, ut Ovidius Met. XIII, 430 dicit; ibi urbem condidit Aeneam aut Aenos nominatam, et secundum quorundam narrationem mortuus est. Sed alii eum inde ob Poly-

mestoris scelus (Serv. ad Aen. III, 1 et 17) aut oraculo monitum fugisse narrant; Delum inde venit, tum Cytheram ut Dionysius, Cretam ut Virgilius, in Peloponnesum ut Pausanias (III, 22 11) ait, aut in Arcadiam, tum Zacynthum navigavit, Leucada deinde et Ambraciam appulit, postremo Epirum attigit, unde in Italiam traiecit.

CAPUT XIX.

REDITUS ACHIVORUM.

In nulla alia parte fabularum maior erat varietas, maior olim narrandi et fingendi erat lubido, *neque* in ulla alia parte magis praeterea non historicorum tantum et geographorum sed aliorum quoque scriptorum versata est curiositas, quam in hisce fabulis, quibus quae revertentibus ab expugnato Ilio Graecis accidissent, tradebantur. Earum fabularum, quae antiquis temporibus per ora hominum ferebantur et quasi novae semper succrescebant, ut gentium atque terrarum notitia nescio utrum dicam aucta magis est, aut accuratius definita, mature quidem orbem quendam concludebant poetae, cuius partem aliquam hodie in manibus habemus Odysseam. Hisce quae de Ulyssis erroribus et casibus narrantur, similia aliis carminibus tradita fuisse de Neoptolemo, Nestore ceterisque ducibus dubitari vix poterit; quamvis enim foecundum Graecorum ingenium in fingendis narrationibus atque fabellis fuisse statuas, eum qui in his narrationibus inest ordinem mutuamque rerum inter

se rationem atque continuum quasi tenorem non esse earum fabularum, quas fors tulit aut procax scriptoris cuiusdam ingenium obvia nominis alicuius similitudine incitatum non invenit sed fudit, si non apparet, et constat at est probabile et veri certe simillimum. Erant talia Augiae carmina, cf. Procl. et Wüllner. de poetis cycl. pag. 93 sq.; quae carmina si haud frequenter lecta sunt, neque frequens eorum mentio fit, hoc inde factum esse videtur, tum quod ex aliis scriptoribus quibus plus tribuebant, historicis et mythographis, ea ipsa quae carminibus illis narrabantur haurire veteres consuevissent, tum quod ea pars quae prae ceteris Homeri nomen prae se ferebat, in praecipuo honore habita esset.

In enarrandis variis iis fabulis eum potissimum ordinem sequar, ut initio facto ab Homeri carminibus et quae ibi traduntur, reliqua prout aliorum scriptorum loci memoratu digni occasionem praebere videbuntur, de ceteris heroibus subiiciam. Mirabitur mecum ibi fortasse aliquis, qui factum sit, ut tam multae civitates in tam variis terris ab his Graecis principibus conditae esse dicantur. Quantum autem in iis narrationibus de originibus urbium ficti falsique verae rerum historiae admixtum esset, equidem neminem diiudicare posse arbitror; multa insunt, quae si cupias explicare et unde orta essent perquirere, dubia quidem et suspiciones movere at non implere animum studiosum et agitatum possunt. Sic quaeri potest, cur Homerica carmina, quae supersunt nobis remotissimae Graecorum antiquitatis monumenta, non splendidam atque gloriosam expeditionem factam ad proferendos fines aut ad devincendos hostes, sed vindicandae et liberandae mulieris causa susceptum bellum celebrent, cuius deinde exitus licet gloriosus, tam funestus tamen multis plurimis vero perniciosus fuerit, ut

merito Cadmea dici possit victoria, Strab. III, p 223. — Et hoc tamen bellum ut commoveretur, piter et Themis consultantes decrevisse dicebantu Cypriis carminibus, quo nimius hominum nume minueretur, Schol. ad Il. *α*, 5 sicque causa eius que initium non ad unam gentem Graecorum ad omne genus humanum referebatur. Haec qui gitet induci fortasse poterit, ut omne bellum *Tro*num migrationem illam Graecorum, qua Asiae noris laetissimam partem occupaverunt, indicare c dat, eaque opinio multis aliis indiciis firmari vid tur. — Sed non erat nunc locus eiusmodi opinionib proferendis, quibus nimis facile oblectatur et c rumpitur animus perquirendae veritatis studiosus; rem itaque ipsam revertamur.

Dissidio inter eos exorto neque uno tempore ne que una itineris ratione Graecos e Troia abscessiss supra commemorabam. Iis autem, qui mar*itimo iti*nere cum Agamemnone domum redibant, circa Euboeam navigantibus ingens supervenit tempestas, qu magna pars navium ad scopulos allisa est, mult*ique* navigantium Graecorum in varias terras disiecti sunt In iis qui in ea tempestate occidissent, prae *ceteri*s Aiax Locrus memoratur. Minerva enim irata ob Aiacis in templo suo commissum scelus stupratae Cassandrae hac calamitate crudeles a Graecis poenas expostulasse narratur, Od. *δ*, 499 sqq. Virg. Aen. I, 39, ibique Servius, qui ad XI, 259 aliam causam irae Minervae affert eam, quod Graeci victores ipsi sacra facere superbe neglexissent. Aiax autem navibus fractis cum in scopulum evasisset, gloriabatur se vel invitis diis servatum iri, ob quam sacrilegam vocem Neptunus tridente scopulum evertit et ferocem heroem undis obruit, cf. Hom. l. l.; Aesch. Agam. 636 sqq.; tangit rem Ovidius Met. XIV, 472; Rem. Am.

735; Callimachus apud Schol. ad Il. ν, 66; Quint. Sm. VI, 523. Senec. Ag. 528. Negat Strabo XIII, pag. 897 A. Aiacis facinus solam causam fuisse, quum non hic modo sed omnes Graeci templum Minervae profanassent.

Hinc Theopompus apud Schol. ad Il. β, 135 causam naufragii aliam tradiderat, putruisse diuturno situ ligna navium neque fluctibus maris resistere potuisse, sicque factum esse, ut ii Graecorum qui pedibus iter fecissent salvi evasissent. Aliam de Aiace fabulam narrat Philostratus Heroic. pag. 680, eum solum in cymba aufugisse timentem iram populi, quem Agamemno captus amore Cassandrae falsis criminationibus exacerbaverat.

Oraculum, quo Locros virginem unam quotannis Ilium ad sacrificium mittere iussos esse Servius ad Aen. I, 41 ex Ennio tradit, ut Minervae iram placarent, tempestate belli Persici demum editum esse videtur, cf. Strab. XIII, l. l. Quod idem Servius ex historicis Graecis refert, Aiacem tertiam post tergum manum habuisse, id alibi legere non memini. Qui Locrorum ex ea clade evaserunt, eorum alii Bruttios Italiae inferioris tenuerunt, et ad eos Locri Italici origines suas referebant. Virg. Aen. III, 399; alii pentapolin Libycam tenuerunt, Virg. Aen. XI, 265 ibique Serv., cf. Lycophr. 1141, 1148 et Tzetz. ad eos ll. Aiaci Locri postea divinos honores exhibuerunt, Pind. Ol. IX, 161.

Non tempestate modo sed dolo etiam Nauplii multos periisse narrant. Frustra is a Graecis poenas interfecti filii repetiverat, Schol. Euripid. Or. 422; quas iniurias ulcisci cupiens quum vidisset tempestate afflictatos Graecos, ignem sustulit, ut ad Caphareas petras, quasi is locus perfugium a ventis navibus praeberet, eos deflecteret. Ibi autem imprimis pro-

celloso et importuno mari plurimi inque iis Aiax periisse dicuntur; sic rem narrant Schol. Eurip. l.: Dictys VI, in.; Hygin. f. 116; Serv. ad Aen. XI, 260; Tzetz. ad Lyc. 384; 387. Erat tragoedia Sophoclis Nauplius inscripta, fragmm. ed. Both. pag. 59, cuius tragoediae haec ipsa res argumentum fuisse videtur. Huc quoque referenda videntur, quae Plutarchus Quaestt. Gr. 33 narrat, Nauplium cum Graeci eum persequerentur, supplicem profugisse ad Chalcidenses, a quibus, cum causam suam strenue defendisset, praesidium iuvenum accepisset, ne dolo forte necaretur praecaventibus, quoniam prodere eum minime voluissent. Aliam fabulam quae ad haec annexa fuit, enarrat Pausanias II, 23, 1; complures Graecorum, qui e tempestate evasissent, nudos frigore et fame confectos deorum auxilium invocasse, cumque processissent in spelunca quadam Baccho sacra capras multas quae eo propter tempestatem confugissent, invenisse, quarum carne famem sedassent, e pellibus autem vestes sibi parassent.

Nauplium filiumque eius Oeacem illo tantum Graecorum supplicio contentos non fuisse narrant scriptores, sed circumiisse praeterea per Graeciam et uxores Diomedis, Idomenei, Agamemnonis contra maritos variis calumniis et accusationibus excitasse eos tradunt, ita tamen, ut alii Nauplium, alii Oeacem, utrumque alii mulieres eas corrupisse narrent; cf. Dict. VI, 2; Tzetz. ad Lyc. 384; Hyg. fab. 118; quin e Didymo Eustathius ad Od α, 344 et Schol. ad Od. δ, 797 referunt, Penelopen a Nauplio in mare praecipitatam esse; filios vero eius Aegistho auxilio profectos et a Pylade occisos esse ex antiqua pictura tradit Pausanias I, 22, 6.

Eos qui salvi domum rediissent Homerus Od. γ, 180 sqq. enumerat Diomedem Philocteten Idome-

neum et Agamemnonem, de quibus eodem ipso ordine agamus.

De Diomede quae traduntur facile in duas potissimum narrationes discerni possunt, quarum altera ad Homericam auctoritatem referri potest, qua redisse in patriam dicitur, altera ab Homero dissentiens, qua eius in Italiam errores traduntur, posterioribus originem debere videtur. Illud qui narrant hunc fere ordinem sequuntur. Erat Aegialea Adrasti filia uxor Diomedis; hanc irata Venus, quod a feroci rege in bello Troiano vulnerata esset, amore incendit Cometae, qui Stheneli filius a Diomede, cum Troiam proficisceretur, custos regni constitutus fuerat. Reversum itaque coniugem Aegialea cum adultero Cometa et civibus adiuvantibus aditu prohibuit. Excluso et vim meditanti regi nuntius afferebatur, patrem ipsius Oeneum ab Agrii filiis omni modo vexatum et regno privatum esse. Profectus igitur in Aetoliam hostes quidem multis modis coercuit et punivit, patrem autem in regnum restituere non potuit sed secum Argos abduxit. Nunc regem suum Argivi commoti clade qua Oenei inimicos affecerat, lubenter in regnum receperunt; sic narrat Dictys VI, 2; cf. Hyg. f. 175; Paus. II, 25, 2; IV, 35, 1; adde locum Strabonis lacerum IX, p. 647; Eustath. ad Il. ε, 412. Discedunt ii tamen auctores ab Homero, qui Oeneum ante bellum Troianum mortuum esse dicit Il. β, 641; non enim est ambiguus hic locus, quod Scholiasta putat, cf. Apollod. I, 8, 6, qui Oeneum ab Agrii filiis vexatum a Diomede tradit vindicatum esse ante belli Troiani tempora. Transtulerunt autem ea in narrationes de reditu regis alii scriptores. — In nomine adulteri illius varietas quaedam reperitur, Cometa ille a plerisque dicitur, aliud a Lucilio usurpatum nomen affert Servius ad Aen. VIII, 8, cf. XI, 268; ubi

lectio fluctuat, codices autem plurimi consentire videntur in nomine Cillaborus, quo allegorico ut videtur nomine quid Lucilius voluerit discerni non potest. Sed Diomedes quanquam in regnum receptus timens sibi ab uxoris insidiis aufugit e patria et navigavit in Italiam, Tzetz. ad Lyc. 433; 592; 594; 603; Chiliadd. III, 285 sqq.; Ovid. Met. XIV, 478. Antoninus Lib. 37 autem eum invitum ventis in Italiam delatum esse dicit. Haec Romanorum scriptorum vulgaris narratio est, qui in eo tantum hunc fabulae ordinem immutaverunt, ut Diomedem cum uxoris facinora rescivisset, in patriam redire noluisse dicerent; cf. Serv. ad Aen. VIII, 9; X, 28; XI, 239; 268; qui cum eum de Aetolia venisse dicit, ante adventum eius in Italiam patrem ab eo vindicatum esse significare videtur, nisi varios potius herois casus antequam Italiam attigisset, respicit; eorum unus memoratur a Plutarcho Parall. 23, Diomedem ad Libyam *delapsum* esse et a Lyco eius regionis rege, qui hospites immolare consuevisset, captum a filia vero eius liberatum esse. Huc quoque referri poterunt, quae apud Pausaniam I, 28, 9 leguntur de Diomedis adventu in Atticam, de pugna inter ipsum et Demophoontem, cum quibus alia coniungebantur ab antiquis de Hippolyti sacris et de institutis ludis Pythicis, cf. Paus. III, 32, 1, et 2.

Quae de adventu Diomedis in Italiam narrabantur, e Timaeo et Lyco repetere videtur Tzetzes ad Lycophr. 603; 615; 619; Dauniam occupavit, postquam pactione partem illius terrae a rege Dauno et filiam eius uxorem acceperat, ut Ovidius Met. l. l. ait, e qua duos ipsi filios natos esse Diomedea et Amphidomum tradit Antoninus Lib. l. l.; — Sedes novi regni Argyrippa ab eo condita fuisse dicitur, sed complures aliae urbes ad eum origines suas refere-

nant, Beneventum, Brundusium, Venusia, Canusia et aliae, quas enumerat Servius; cf. Iustin. XII, 2; Liv. XXV, 12. Strab. IV, p. 328 sq.; VI, p. 434; Steph. Byz. s. v. Ἀργυρίππη; Ἀτρία, Βενέβεντα, Διομήδεια, Schol. Pind. ad Nem. X, 12. Varias de morte eius narrationes affert Strabo VI, pag. 436. Alii eum domum revocatum et ibi mortuum esse, alii eum in Daunia e vita decessisse, alii in insula Diomedea subito evanuisse dicebant, interfectum esse eum a Dauno tradit Tzetzes ad Lyc. 603. Immortalem eum a Minerva factum esse vetus fama est, cuius auctores extant Pindarus Nem. X, 12; Ibycus aliique quos ibi laudat Scholiastes. Ibycus eum Hermionen duxisse (in insulis beatorum opinor) et cum Dioscuris immortalem factum esse tradiderat. Divini honores non uno Italiae loco ei exhibebantur, fuit templum eius in intimo sinu Adriatici maris et Veneti ei equum album immolabant, Strab. V, pag. 328. Sepulcrum eius memorat Plinius Hist. Nat. XII, 3, p. 329 platano insigne, insulas quoque Diomedeas ab ipso dictas commemorat III, 30, p. 752; cf. Strab. ll. ll. Socios eius in aves mutatos esse fabulantur, vel ab irata Venere, ut Ovidius narrat, vel prae moerore ut Tzetzes et Plinius X, 61 tradunt. Legi quoque merentur quae Heynius exc. I, ad Aen. XI disputat, et Niebuhr. H. R. I, p. 169.

Nestorem dissentientes ab Homero alii domum statim rediisse non tradebant, sed in Italia ab ipso sociisve eius Metapontum conditum esse affirmabant, Strab. VI, p. 406. A; Vellei. Pat. I, 1; Pisae quoque conditorem eum fuisse narrant, Strab. V, p. 346; Serv. ad Aen. X, 179; Heracleae item, cf. Strab. VI, l. l.; fuere etiam qui eius monumentum in insula Ceo deprehendere sibi viderentur, Strab. X, p. 754, B.

Etiam magis varia sunt quae de Neoptolemo narrantur; ab Homero dissentire videtur Augias, qui terrestri itinere eum domum rediisse narrabat, cf. Procl. — Apud Scholiasten ad Od. γ, 189 et apud Eustathium legitur eum Thessaliam usque navigasse, und combustis monente Thetide navibus reliquum iter pedibus confecisset, locumque ubi consideret, suadente Heleno Epirum delegisset. Sic duplex fabularum ordo discerni poterit, altero eum ad Peleum in Thessaliam rediisse altero continuo in Epirum migrasse eum traditur. Causa autem cur in Epirum migraverit etsi non commemoratur ea tamen fuisse videtur, quod Acastus avum Neoptolemi Peleum regno eiecisset, quem itaque a reverso eo in regnum restitutum esse narrant. Talis narrationis fundus loci Homerici, qualis est Il. τ, 334, haberi possunt. Fuit vero ea res argumentum tragoediarum, cf. *Eurip.* Troad. 1118; et talis tragoediae argumentum *Dictys* narrat VI, 7 sq., expulsum ab Acasto regnoque privatum Peleum fuisse, quod cum Neoptolemus, qui apud Molossos quassatas naves reficiebat, rescivisset, duos speculatores in Thessaliam misit, per quos rem omnem cognosceret. Qui ubi reversi singula eum edocuissent, ad Sepiadum littus appulit, ubi avum in spelunca reperit latentem, et primo filios Acasti occidit, ipsumque ad speluncam pellexit; cumque eum occisurus esset, a Thetide repressus, Peleus vero in regnum restitutus est. Haec itaque Dictys, in qua narratione nemo non tragoediae alicuius argumentum intelligit. Quod dicit in antro Peleum latitasse, expressum est ex Eurip. Androm. 1265, quo loco Peleum in spelunca quadam exspectare iubet Thetis, usque dum ipsa veniret et ad immortalem vitam eum abduceret, et cohaeret cum narratione, qua Peleum in antro deam furtivo concubitu compressisse trade-

batur. Aliam de Pelei morte fabulam tangit Scholiastes Pindari ad Pyth. III, 167, eum ut Pindarus ipse et Callimachus tradebant, in insula Co miseram mortem obiisse.

Altera res non minus celebrata ab antiquis auctoribus praeeunte Homero Od. δ, 5, sunt Neoptolemi cum Hermione Menelai filia nuptiae; cf. Eurip. Androm.; Virg. Aen. III, 323; Ovid. Heroid. VIII, 31; Paus. I, 33, 8; Quint. Sm. VI, 83; VII, 215. Promiserat Menelaus filiam suam Neoptolemo uxorem, aut ut praemium esset fortitudinis eius aut quo iuvenem ad bellum commoveret. Ipse itaque post finitum bellum Lacedaemona venit, ut inde uxorem desponsatam ad se traduceret, Hom. l. l.; Paus. III, 26, 7; hic quidem e Scyro Neoptolemum venisse tradit III, 25, 1, cum alii, ut Euripides, avi in Thessalia regnum eum tenuisse dicant. Vetustam tamen traditionem aut carmen aliquod sequi Pausanias videtur, adeo lepida est fabella quam tangit. Id autem coniugium haud satis prosperum fuit Neoptolemo; Hermiona enim se Andromachae captivae mulieri posthaberi indigne ferens, Orestae, cui antea a Tyndaro aut promissa fuerat, ut Ovidius, aut uxor data fuerat, ut Scholiastes et Eustathius ad Od. l. l. e Sophocle referunt, auxilium imploravit, ut liberaretur; et ea tragicorum certe poetarum est narratio; alia autem quoque ferebatur, nam Servius ad Aen. III, 329, raptam adeo esse Hermionen a Neoptolemo refert. Utut erat, rixae exortae sunt inter Oresten et Neoptolemum, quorum finis huius caedes fuit, cf. Serv. l. l.; Vellei. Pat. I, 1; Iustin. XVII, 3.

Non una tamen ratione omnes scriptores mortem Neoptolemi tradunt, antiquissima quae nunc superest narratio eum Delphis occisum esse tradit, de quo quidem loco omnes fere consentiunt. Sed Pindarus

Nem. VII, 58 eum Delphos venisse tradit, ut deum de liberis ex Hermione procreandis consuleret, quae res amorem Neoptolemi potius erga uxorem, quam dissidium inter eos exortum indicat; cf. Schol. Eur. ad Or. 1649. Alii vero eum Delphos venisse dicunt, ut poenas occisi patris ab Apolline exposceret, Eurip. Or. 1649. Necatus itaque ibi dicitur in tumultu propter carnes victimarum exorto, Pind. l. l. et ibi *Schol.* et Delphicus quidam Machaerus dictus eum interfecisse fertur, Schol. Eurip. Androm. 1128; aut *se* ipsum necavit, ex Pherecyde et Sophocle Schol. Eur. Or. 1654; aut iussu Pythiae necatus est, Paus. *I*, 13, 9; IV, 17, 4; X, 21, 4; ille Pausaniae locus quem primum posui, quomodo fabellis historia depravata sit demonstrat, quae enim de simili morte Neoptolemi et Pyrrhi Epirotae dicuntur, poetarum blandientium magis et fabulatorum quam veracis historici esse censeo, causa autem mortis affertur postremo *loco*, quod templum Delphicum invasisset, idem alio loco II, 28, 9 Pyladem ei mortem paravisse narrat.

Diversa ab hac altera narratio est, qua in Epiro Neoptolemum sedem fixisse et uxorem habuisse Andromachen tradunt; commemorant eam Pausanias II, 23, 6; III, 20, 8; Strab. VII, 503, B; XIII, 888; Vellei. Pal. I, 1; Plut. Pyrrh. 1; tres ex Andromacha filios genuisse dicitur, Pyrrhum Molossum Aeacidem, Schol. Eurip. Andr. 26; quibus Pausanias quartum Pergamum addit, quanquam Euripides ipse unum modo filium ipsi genitum esse tradit. Urbem ibi Pergamum condidit. Alteram autem praeterea uxorem ei tribuunt Lanassam Herculis neptem, e qua octo liberos sustulisset, Plut. l. l.; Iustin. XVII, 3; qui eum Heleno ob industriam singularem regnum Chaonum et uxorem Andromachen dedisse refert. Quod si tamen Delphis occisus dicitur, ad hunc fa-

bulae ordinem pertinere id iudicandum est, quod oraculum armis ab eo invasum esse dicitur. Divinus honos nonnisi posterioribus temporibus heroi a Delphicis exhibitus est, propterea quod in pugna contra Gallos auxilium iis tulisset, Paus. I, 4, 4; X, 23, 2; sepulcrum quoque iussu oraculi ei conditum est, Strab. IX, p. 645, A. — Heleni in Epiro regnantis memoria clara extat Virgilii carmine, cf. Aen. III, 295, adde Heyn. exc. X ad Aen. III; Stephanus Byz. s. v. *Βόλλις* hanc Illyrici urbem a Myrmidonibus conditam esse tradit. — Idem s. v. *Ἴλιον* eius nominis urbem ab Heleno in Epiro conditam esse tradit, et alteram a Cestrino Heleni filio in Thesprotia conditam memorat s. v. *Καμμανία*. Phoenicem qui cum eo navigaverat in itinere mortuum ad Strymonem sepelivit, Tzetz. ad Lyc. 417.

Philoctetae in Italiam adventum complures auctores memorant et plurium urbium origines inde repetuntur. Petiliam ab eo et Crimisam conditas esse dicit Strabo VI, p. 390, postquam Moeliboea profugisset; ex Apollodori autem commentariis refert, eum in Crotoniatarum agrum venisse et urbem Chonin condidisse praeter Crimisam, cf. quae ad Lyc. 911 ex Euphorione affert Tzetzes et Servius ad Aen. III, 401; Macellae quoque conditorem eum tradunt, Tzetz ad Lyc. 911 et Steph. Byz. s. v. *Μάκελλα*; Aegestam autem in Sicilia missis ab eo sociis originem debere ferunt, Strab. l. l. et VI, p. 418. De morte eius cf. Tzetz. ad Lyc. 922.

De Idomeneo non longe absimilia narrantur. Leucus quidam quem ipse educaverat a Nauplio instigatus Medam uxorem regis uti filium filiamque occidit, ipsumque reducem regno eiecit; cf. Tzetz. ad Lyc. 1217, adde quae ad v. 431 tradit, quo loco pro Leuco illo secundum alios ut videtur Amycum quen-

dam nominat; quamvis Lycophron ipse eum cu Calchante et Sthenelo Colophone obiisse narrat, c Schol. ad Od. ν, 259, et Serv. ad Aen. III, 401, co sedisse eum apud Apollinem Clarium. Causam alia cur eiectus e patria esset, idem Servius ad Aen. II 121; XI, 264 tradit, Idomeneum cum reverteretu tempestate afflictum diis vovisse, se id quod sibi sa vo in terram egresso primum obviam venerit, imm laturum esse, accidisse autem, ut filius patri prim occurreret, quem cum sive immolasset sive immolar voluisset, orta postea postilentia pulsum eum in Ita liam emigrasse, Sallentinum Calabriae promontoriu tenuisse, iuxta quod civitatem condidisset. De pesti lentia illa antiquam famam tangit Herodotus VI 170, quam rem innuere videtur immutata paulo ra tione Dictys, qui ingenti multitudine locustarum Cre tam devastatam esse narrat regnante Idomeneo. Alii seditione pulsum eum e patria bello Magnensium cum grandi manu ad regem Clinicum venisse dicunt in Illyricum, unde accepta manu cum Locrensibus ple- risque in mari coniunctus amicitia per similem cau- sam sociatis Locros appulisset ibique aliquot oppid possedisset, in quibus Uria, e Varrone Probus ad Virg. Buc. 6. 31. p. 352. cf. Strab. VI, p. 430; X 735. A. Niebuhr. hist. R. I, p. 166 not. 448. Regres- sum eum ex Italia in Asia decessisse refert Servius ad Aen. III, 401; Cretae mortuum esse regnantem Dictys VI, 6 narrat.

Ab Agamemnone antequam in patriam rediret complures civitates conditas esse memorant; Cretam eum tempestate appulsum esse, ubi inter sacrificium captivi quos secum ducebat, naves incendissent, ut una tantum, qua ipse in patriam rediit, servaretur, narrat Suidas s. v. Κρῆτες τὴν θυσίαν; Pergamum itaque a Troianis qui e classe Agamemnonis Cretam

delati erant, conditum dicit Servius ad Aen. III, 108; Lampen ab eo, Tegeam vero a Talthybio ibi conditam esse tradit Stephanus Byz. s. v. Τέγεα, λάμπη. Quatuor eius naves ad Calydnam insulam ventis delapsas esse et qui in iis fuissent, cum incolis eius insulae commixtos esse refert Diodorus V, pag. 373; templum Sami ab eo conditum esse dicit Strabo XIV, pag. 947 B. Clitodemus, cui in rebus Atticis prae aliis fidem haberi posse Pausanias dicit, Agamemnonem in eo itinere cum Palladio Atticam appulisse tradebat, Palladium a Demophoonte raptum et sociorum multos interfectos esse, cf. Eustath. ad Od. α, 321 p. 61 et 62. Lips. Nothum praeterea filium eius aut socium Halesum in Italiam venise fuere qui narrarent, Virg. Aen. VII, 723, cf. Heyn. exc. VIII ad ad VII p. 157.

Reversum in patriam uxor Clytaemnestra corrupta ab Aegistho, in qua re Nauplii auxilium a posterioribus auctoribus commemorabatur, nefarie interfecit. Causae quibus commota mulier tale facinus ausa esset variae traduntur, sive quod irata fuisset ob immolatam filiam Iphigeniam, uti tragici plerique poetae referunt, sive quod sperni amorem suum et Cassandram sibi praeferri pati nequivisset, e qua Agamemnon duos filios genuerat, Paus. II, 16, 6 et 7; sive quod Aegisthi amore arsisset; Pind. Pyth. XI, 34. Qua ratione interfectus sit, dissentiunt scriptores, Homerus eum in convivio ab uxore et Aegistho occisum esse dicit Od. λ, 410 (ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ) cum multis sociis, omnes adeo qui Troia rediissent cum Cassandra liberisque inde natis occisos esse ait Pausanias II, l. l. de Cassandra cf. Philostr. Imagg. II, 10, p. 69. Homerum sequuti sunt Augias, Aeschylus Ag. 1343. Alii eum in balneo ab uxore occisum esse dicunt, quae ei tunicam quam indueret

consutis manicis superiniecisset, quam narrationem Tzetzes Lycophr. 1108 poetarum plurimorum esse dicit, cf. eund. ad vs. 1375; Schol. Il. *α*, 7; praeter has tertiam narrationem affert Servius ad Aen. XI, 268, Agamemnonem a Clytaemnestra quae ei ad littus occurrisset, necatum esse; sacrificantem autem regem trucidatum esse memorat Hyginus f. 118. Occisus autem est, ut Scholiastes Sophocl. ad Electr. 281 tradit, die duodecima mensis Gameleonis. — Orestes filius ex ea caede servatus est sive a nutrice Arsinoe cf. Pind. Pyth. XI, 25; quam tamen ut videtur Laodamiam appellabat Pherecydes, cf. ibid. Schol., cuius Laodamiae filius occisus esset ab Aegistho pro Oresta; sive ab Electra, Hyg. f. 117; apud Aeschylum Choeph. 612, cf. Agam. 880, Clytaemnesra se filium educandum ad hospites misisse ait. Strophio eum educandum traditum esse multi narrant, Pind. l. l. v. 53; Eurip. Electr. 17; Plut. Parall. 37; Lucian. Amor. 47; *Senec.* Agam. 906; Serv. ad Aen. IV, 471; a Tyndaro puerum educatum esse Euripides Or. 449 tradit.

Aegisthus igitur regno potitus Mycenis regnabat septem annos uxorem habens Clytaemnestram, e qua filias duas genuisse dicitur, cf. Eurip. El. 52, E r i g o n e n, Tzetz. ad Lyc. 1374, H e l e n a m, Ptol. Heph. p. 248. Ex illa postea Orestes nothum filium Penthilum genuisse dicitur, ut e Cinaethone affert Paus. II, 18, 6; secundum alios laqueo vitam finivit, postquam Orestes in iudicio de caede matris absolutus erat, Dict. VI, 4; cf. Etym. M. laudatum a Sturzio ad Hell. p. 133; Helenam autem Orestes occidisse narratur, Hephaest. l. l. In temporis ratione haerent veteres dum hanc fabulam enarrant, ut neque quamdiu Aegisthus imperium tenuerit neque quando Orestes vindex patris reversus sit, consentiant, quae discrepantia a tragicis imprimis poetis exorta est. Homerus

enim qui, antequam Menelaus in patriam rediisset, interfectum ab Oresta Aegisthum esse narrat, post septem annos eum ad vindicandum patrem revertisse dicit, ut merito mireris, qui auctor argumenti Electrae Sophoclis id post viginti annos factum esse dicere possit. Res ipsa vario modo narratur. Ad Idomeneum Orestes venit, a quo acceptis militibus Athenas contendit, unde ad Strophium profectus est, et ab eo, ut oraculum Apollinis iusserat, cf. Aesch. Eum. et Choeph. 267, auxilia petiit. Strophius autem, ut Dictys VI, 3 tradit, iratus erat in Aegisthum, quod is filia sua quam uxorem habuerat spreta cum Clytaemnestra consuesceret; hanc autem fabulam alibi tangi non memini; sed alia potius ratio erat affinitatis inter Strophium et Orestem, de qua supra sermo erat; filia tamen Strophii memoratur Astydamia, Schol. Eur. Or. 53. Ab eo auxilia uti voluerat accepit et armatus cum Pylade vi adgressus adulterum matremque interfecit, Pind. Pyth. XI, 55; dolo usum esse Orestem tragici poetae finxerunt oeconomiae dramatum obsecundantes, quorum narrationes quisque noverit; cf. Lucian. de Dom. 23; Hyg. f. 119; Serv. ad Aen. IV, 471, qui ad XI, 267 aliam narrationem affert Clytaemnestram non manu filii sed e iudicum sententia interemtam esse. Homerus Od. γ, 305 Athenis rediisse Orestem tradit, ad quem locum Eustathius eum aut Athenis aut Phocide venisse ait, quam postremam narrationem secutis post Homerum auctoribus deberi affirmat ibidem Scholiastes. Dictys cum hac utraque tertiam illam de Idomeneo sine ulla ratione conglutinat.

Post peractam matris caedem furiis agitatus Orestes aufugit, et aut a Troezeniis, Paus. II, 31, 4 et 8, aut Athenis expiatus est, Dict. VI, 4, qui rem ita narrat, quasi Menelao potissimum auctore expulsus a

civibus suis Orestes Athenas aufugisset. Talem Me nelai iram in iuvenem Euripides contra Homericam narrationem finxit, alii vero eas partes Tyndaro tr buere. Athenis deinde Orestes coram Areopago cau sam dixit, a quo absolutus est, cf. Hellan. fragm. 9(p. 128, absolutus regnum Argivorum tenuit, Paus. I 28, 5; VIII, 34, 4, Hermionen duxit uxorem, et e ea genuit Tisamenum, Paus. II, 18, 6; III, 1, 5. Di ctys Idomeneo intercedente Oresten et Menelaum recon ciliatos esse tradit. — Alii autem post multos demum errores eum insania et furiis liberatum esse narrabant, in Phthiam venit Iove iussus, Eurip. Androm. 867; ad Molossos, quo coloniam deduxit, Strab. VII, pag 502 B; Liv. XXXIII, 34; Thucyd. II, 80; Steph. Byz s. v. Tauros in Scythiam profectus est oraculo ius- sus, ut inde simulacrum Dianae et sororem sacerdo- tem abduceret, nota tragicorum poetarum narratio, cf. Eurip. I. T. 76 sqq. Regem barbarum ab eo occi- sum esse Lucianus Tox. 2 dicit, quod etsi ceteri non dicunt, in eo tamen consentiunt, seu dolo seu vi Iphi- geniam cum simulacro Dianae ab eo abductam esse, Diod. IV, p. 288; Strab. XII, 809 C; Paus. III, 16, 7; Lucian. de salt. 26. Scythae posterioribus tempori- bus sacra ei fecerunt, Luc. Tox. 1. Quo simulacrum illud deinde transportatum esset, propter certantes de eo honore civitates iam olim dubium erat, nam Lace- daemones, Athenienses, Cappadoces, Lydi et accolae ponti Euxini id asservare volebant, cf. Paus. III, 16, 7, Ad Ciliciam Oresten etiam venisse cum revertere- tur e Scythis narrat Stephanus Byz. s. v. Ἄμανον. In eodem itinere in Italiam errasse dicitur, Serv. ad Aen. II, 116 portum Orestae in Italia inferiori me- morat Plinius Hist. Nat. III, 10, p. 623; ad quam fa- bulam referenda sunt quae de initiis carminis buco- lici narrari solent, vide sis quae e Varrone et Catone

Probus affert ad Virg. Bucol. pag. 848 ed. Lion. cf. Donat. — Alia quae de eius insania per Graeciam tradita memoria ferebantur, memorantur a Pausania VIII, 34 in., eum sibi digitum amputasse, cf. VII, 25, 7; origines eiusmodi fabellae plerumque dedebant locis quibusdam et regionibus. Varia de regno eius traduntur, eum partem aliquam Arcadiae occupasse ait Pausanias II, 18, 5 et 6; idem VIII, 5, 4 eum iussu oraculi in Arcadiam emigrasse, tradit, ubi mortuus esse dicitur, cf. Schol. Eurip. Or. 1640; a serpente morsus, Steph. Byz. s. v. Ὀρέσται; vide Pherecyd. fragm. 76. p. 210, qui ab Asclepiade dissentire videtur neque, ut hic, locum inde nomen traxisse, quod Orestes ibi mortuus esset, statuere, sed quod eo loco a furiis agitatus esset. Mortuum eum esse dicunt cum id ageret ut coloniam Lesbum deduceret, ab oraculo iussus, cf. quae Tzetzes ad Lyc. 1374 ex Hellanico narrat; Strab. XIII, p. 872. C. Schol. Pind. Nem. XI, 43. — Ut ossa eius ex Arcadia Lacedaemona translata sint post Herodotum narrat Pausanias III, 3, 6; 11, 10; VIII, 54, 4; etiam Aritiae sepultus dicebatur, unde ossa eius Romam esse translata Servius narrat ad Aen. II, 116. Electram Pylades uxorem duxit, Eurip, Or. 1658, e qua filia genuit Medontem et Strophium; Paus. ex Hellanico; cf. fr. 86.

Subiungamus huic M e n e l a u m, cuius errores, quibus per multas terras circumactus dicitur, iam Homerus tangit Od. δ, 82; ubi ad Cyprum, Phoeniciam, Aegyptum Aethiopas Sidonios et Erembos accessisse dicitur.

Tempestate eum cum quinque navibus ad Aegyptum iactatum esse narrabat Augias, cf. Procl.; Aeschylus Agam. 624 eum cum nave subito e tumultu ceterorum evanuisse dicit, ut fabulam quam Servius ad Aen. XI, 262 tangit, eum Iovis consilio ad Aegy-

ptum iactatum esse, ne periret Aegisthi facinore, il Aeschyli loco significari putes. Fuit autem fortas aliquis, qui Homericae narrationi, Mercurium missu esse, ut Aegistho ne occideret Agamemnonem edic ceret, apte opponeret hanc de Menelao Iovis consil ad Aegyptum deducto fabulam. De eius in Phoeni am et Cyprum erroribus rarissima apud scriptores mentio, quin Strabo I, p. 64 eum ad Sidonios Pho nices non credit devenisse; mulia autem eius mon menta superesse dicebantur in Aegypto. Quae Helena quam ibi recepisset, narrantur, tragicoru fabulas, omitto; cf. Serv. ad Aen. XI, 262; Lycoph 820 et ibi Tzetz. Canopum ibi urbem in memoria gubernatoris navis suae condidit, Strab. XVII, 115 C; Steph. Byz. s. v.; Troiani captivi, qui cum e navigarent ibi ab eo defecisse et a rege Aegyptiorum civitate donati urbem statuisse dicuntur, Diod. I, p. 66; Steph. Byz. s. v. θῶνις; Pharum condidit in memoriam socii, id. s. v. φάρος; urbs adeo Menelaus dicta iu Aegypto fuisse dicitur, cf. Strab. XVII, p. 1155, C; Steph. Byz. s. v.; portum eodem nomine appelatum in Africa memorat Herodot. IV, 169; cf Strabo I, p. 68; XVII, p. 1195, C. Tzetzes quoque in Cyrenaica Africae Antenoris filios qui cum e Troia navigassent; consedisse tradit ad v. 874 ex Lysimacho, qui de reditu Achivorum scripserat; cf. quae supra dicebantur p. 155; ipsum vero Menelaum ad Iapygas venisse. Non tamen alibi quantum scio monumenta errorum eius in Italia tradebantur. In insula Helenae ad Atticam sita Helena post Ilii excidium primum e nave exiisse dicitur, Paus. I, 35, 1; Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 520. Postquam in patriam rediisset ab aliis Argivorum in Helenam iram exarsisse narratur ita ut eam occidere cuperent, ab aliis Menelaum inter et Orestem rixae et discordia

exorta esse dicitur, illud tradit Scholiastes ad Eur. Or. 46, qui Helenam ob eam causam a Menelao, cum redisset, clam domum praemissam esse narrat; hoc e tragicis imprimis Euripides contra Homericam narrationem finxit, cf. Od. γ, 258. Mortuus Menelaus cum Helena Therapnis sepultus dicebatur, Pausan. III, 19, 9; aliam narrationem affert Ptolemaeus Heph. ap. Phot. pag. 247, Menelaum cum Helena ab Iphigenia cum Tauros appulissent immolatos esse, secundum alios vero Helenam a Thetide in bestiam mutatam esse; Pausanias l. l. Rhodiorum narrationem affert, Helenam expulsam a Nicostrato et Megapenthe Rhodum aufugisse, ubi timens, ne ulcisceretur Polyxo Tlepolemi mater mortem immaturam filii, se suspendisset. Utrique divinos a Lacedaemoniis honores exhibitos esse notum est.

Maxima fabularum varietas est de Ulysse, ut apte eam disponere primo aspectu tam diversarum narrationum undique confusarum fere desperes. Enarrabo autem omnes, ut potero, eodem modo quo ceteras, geographiae et locorum rationem non habens, in quibus rebus explicandis ne ultra fines me studium abripuisset timebam. Iam supra memorabam, narratum esse olim, Ulyssem propter Aiacis Telamonii necem timentem iram Graecorum clam aufugisse, quae narratio ab Homerica diversa est. Homerus enim eum cum Agamemnone classem solvisse et tempestate ab eo disiectum primum ad Ciconas appulisse narrat, Od. ι, 39; cf. Philostr. Heroic. 691. C; ad Ismarum, ut Dictys ait (VI, 5), ad Maroneam, ut Scholiastes Odysseae in argumento totius carminis dicit; cf. Tzetz. ad Lyc. 808, qui Ismarum postea Maroneum nominatam esse tradit. Ibi Hecabe a sociis eius necata esse dicitur, cui deinde in Sicilia in promontorio Odysseo sepulcrum statuit, Schol. Od. et Tzetz. ad Lyc. 1030.

Magnam praedam eum ibi quaesivisse post Homerum Dictys tradit; in qua insigne erat vinum optimum Marone datum, quo Cyclopem postea inebriavit; Eurip. Cycl. 141; Prob. ad Georg. II, 37. Pulsus dein ab iis qui supervenerant Ciconum sociis ad Lothophagos delatus est, Od. ι, 62; in quo reliqui scriptores Homerum sequuntur; eam gentem in Africa fuisse Strab. XVII, p. 1191 C putat; inde ad Cyclopas venit, Od ι, 105. Homeri auctoritatem plerique sequuntur qui eiusdem rei mentionem faciunt, ut Virgilius, Ovidius, Euripides, Lucianus Dial. mar. 2; in eo tantum uterque Romanus poeta traditam fabulam immutavit, ut Achemeniden quendam ab Ulysse ibi relictum esse dicant, quem postea ibidem appulsus Aeneas recepisset. Heynius ad Aen. III, 613 eam fabulam ingenio poetae deberi existimat; sed quis discernere audeat, quot eiusmodi fabulae olim divulgatae fuerint. Recentiores auctores qui eandem rem commemorant, Dictys, Tzetzes, Scholiastes Od., rem ita referunt, ut quae fabulosa iis visa fuerint, interpretentur, sed non in singulis quibusque rebus consentientes. Sic tres fratres per Sicaniam regnasse Scholiasta e Sisypho Coo refert, Cyclopem, Antiphaten, Polyphemum, filios Sicani, a quibus omnibus vario modo Ulysses afflictus esset, et Polyphemi filiam unicam rapuisset. Eadem fere Dictys, nisi quod duos fratres Cyclopem et Laestrigonem filios habuisse dicit Polyphemum et Antiphaten, illius filiam Elpenoris amore arsisse; quae cum rapere eam Ulysses conatus esset, a parente per vim redemta et Ulysses e terra eiectus esset; cf. Schol. ad Od. α, 198; Serv. ad Aen. III, 590; 636; 678, qui aliam explicationem fabulae illius de Cyclope affert. Ad Aeolum inde venit, Od. κ, 1; sive ut illi recentiores auctores dicunt, ad Aeoli insulas aut Aeolidas, cf. Diod. V, p.

636; extat fabula quae huc refertur apud Parthen. Erot. 2, e Phileta desumta, qua Polymela Aeoli filia amore Ulyssis capta cum eo aufugisse dicitur. Hinc ad Laestrygones delatus est, Od. κ, 80, ubi naves omnes crudelitate et immanitate regis Antiphatae amisit, cf. Lyc. 664, ibique Tzetz., alii scriptores, ut ex iis quae modo dicebam apparet, haec cum iis quae de Cyclope tradebantur, coniunxerunt. Ad Circen deinde venit, Od. κ, 133, a cuius magicis artibus Mercurii auxilio vitam servasse dicitur. Tzetzes vero ad Lyc. 805 eum a Circe primo necatum deinde in vitam revocatum esse narrat; in equum ab ea mutatum esse fabulatur Hephaestion (pag. 249). Erat Circe, Latino nomine Marica dicta, Serv. ad Aen. XII, 164, Solis filia et in insula Aeaea habitabat, Hom. l. l.; Hyg. f. 125; ex ea Ulysses Latinum, Agrium et Telegonum filios genuit, Hes. Theog. 1011 sqq.; Serv. ad Aen. I, 273; XII, 164, e Catone; Dionysius Ant. Rom. I, 72, a Xenagora Remum Antiam et Ardeam filios nominatos esse tradit; eosdem affert Stephanus Byz. s. v. Ἄρδεια. cf. idem s. v. Ἄντεια; duos tantum Hyginus memorat, Nausithoum et Telegonum; Tzetzes ad Lyc. 702 Ausonem inde natum esse dicit; cf. Eust. prooem. in Od. pag. 1.; unde Plutarchus hauserit, Romanum Ulyssis et Circes filium fuisse, nescio; recte autem Scholiastes Apoll. Rh. III, 311 Hesiodum principem eorum omnium fuisse dicit, qui Ulyssem in Thyrsenico mari navigasse tradidissent. Tzetz. ad Lyc. 805 filiam quoque Cassiphonem inde natam dicit, quam postea Telemachus uxorem duxisset. Scholiastes Odysseae Circen et Calypso Atlantis fiilias et sorores fuisse perhibet, sacerdotes solis et Lunae, Dictys quoque eodem tempore eum ad utramque venisse narrat; e Calypso Ulysses filium Ausonem aut Ausonium genuisse dicitur, Serv. ad Aen. III, 171;

Fest. s. v.; Schol. Apoll. Rh. IV, 557; Hesiodus aute Nausithoum et Nausinoum inde genitos dicit l. l. 101 Hyginus itaque et Tzetzes Circen cum Calypso confu dunt, et quae de iis ferebantur narrationes commutai

Ad Cimmerios hinc profectus est et ad infero Od. λ, 1; explicant seriores scriptores Homericam f bulam, Ulyssem ad lacum Avernum venisse, ubi cl rum Necyomantium fuisset, cf. Dict., Sch. Od., Ser ad Aen. VI, 107; ad Sirenas inde delatus, μ, 142; u hanc quoque rem veteres explicare studuerint, docet Se vius ad Aen. V, 864; quae Sirenes cum Ulyssis industria vi ctae essent, in mare se praecipites dederunt. Scylla tum et Charybdin attigit, procellosum et importu num imprimis circa Siciliam mare hisce monstr significari putant veteres; cf. Tzetz. ad Lyc. 6 Nunc ad Trinacriam venit, ubi socii eius boves sacros comederunt; explicat fabulam Scholiastes Arati 132, quod tauri illi aratores fuissent. Inde ad Calypsus insulam nudus eiectus est, Od. μ, 420, unde ad Phaeacas traiecit, quorum beneficio in patriam deportatus est. Dictys autem eum postquam e Scylla et Charybdi evasisset, in manus Phoenicum praedonum incidisse fabulatur, a quibus per misericordiam servatus duabus navibus ad Idomeneum Cretam venisset, qui eum donatum navibus et praeda ad Alcinoum Phaeacum regem misisset. Eum adduxisse precibus dicitur, ut secum Ithacam navigaret, quo ii regnum restitueretur. Quam narrationem Diodorus quoque tangit IV, p. 316. Idomeneo ab aliis poetis in his fabulis ampliores partes datas fuisse, intelligi potest e duobus illis versibus, quos Od. α, post v. 93 a nonnullis additos esse tradit Scholiastes.

Geographi atque scriptores ii, qui de originibus civitatum Italiae memoriae tradiderant, inprimis multas fabulas annexas ad Ulyssis circa Siciliam errores

commemorabant. Tangit eam rem Strabo I, p. 45, qui ter eum ad Siciliam appulisse narrat, cf. VII, p. 458; V, p. 355. — Baiae itaque oppidum ad Baium Ulyssis socium originem referebat, cf. Varro ap. Serv. ad Aen. IX, 710; Strab. l. l. et V, p. 376; Lycophr. 694 ibique Tzetz.; Steph. Byz. s. v. Item Vesuvii accolae et Cymaei ab Ulyssis sociis civitates suas conditas memorabant. Oppidum ab Ulysse in Italia conditum memorabant Scylaceum Navifragum, Serv. ad Aen. III, 553; cf. Pausan. V, 25, 3. Macareus quidam socius eius in Italia sedem fixisse dicitur, Ovid. Met. XIV, p. 158; Temesam in Italiam venit, ubi socius eius, quoniam virginem per vim stupraverat, a civibus lapidibus necatus est, Paus. VI, 6, 7; Strab. VI, p. 392; Eustath. prooem. in Od. Egerat de adventu eius in Italiam Hellanicus, cf. Sturz. ad fr. 124. Aeneae eum in his erroribus occurrisse fertur, cum quo foedus iunxisset; Tzetz. ad Lyc. 1242. Portum Ulyssis in Sicilia memorat Plinius Hist. Nat. III, 14, p. 640. Strabo in Hispaniam adeo erroribus suis iactatum eum esse memorat, cf. III, p. 223; 236; quibus locis eius rei monumenta affert urbem Odysseam ibi conditam, cf. Steph. Byz. s. v. et Eustath. prooem. in Od.; ad Libyam eum venisse narrat Tzetzes ad Lyc. 648.

Quae in patriam reverso accidisse dicuntur, usque dum procos interfecerit, uti his tandem occisis patrium regnum tenuerit, nota sunt ex Homero. Nescio, quid ii sibi voluerint auctores, qui e Penelope, quae cum omnibus procis concubuisset, Pana natum esse dicebant, Herodt. II, 145; Duris Samius ap. Tzetz. ad. Lyc. 772; alii a Mercurio in caprum mutato procreatum esse Pana fabulabantur, Serv. et Philarg. ad Virg. Ecl. II, 32. De ea re certiorem factum Ulyssem in Tyrrheniam navigasse, quia do-

mum redire noluisset, et Gortyniam ibi civitat condidisse, ubi mortuus esset, tradiderat Theopo pus, Tzetz. ad Lycophr. 806. Alii viso monstro e aufugisse dicebant, Serv. ad Aen. II, 44. Aliam n rationem affert Plutarchus Quaestt. Gr. 14, Occi procis inter cives et Ulyssem tumultum exortum e et Neoptolemum ut litem iudicaret, arbitrum electu esse, qui poenas quas penderet Ulysses decernere Ulysses itaque profugit in Italiam. Huc fortasse r ferri potest Mantinensium narratio, Penelopen Man neam venisse et ibi mortuam esse, Paus. VIII, 12,

De reliquis Ulyssis fatis singulari carmine, quo Telegonia inscriptum erat, egerat Eugamm Cyrenaeus, cuius carminis argumentum Proclus no servavit. Omnium earum narrationem fundus est a que principium locus Homericus Od. λ, 120 sqq. Eu gammon itaque Ulyssem reversum primum Elida na vigasse narrabat, ut boum greges ibi perlustraret; ubi a Polyxena hospitio exceptus donum pretiosum acceperit. In Ithaca dein peregit a Tiresia iussa sa crificia et ad Thesprotas profectus est. Ibi uxorem duxit Callidicen reginam, duxque Thesprotum fui in bello contra Brygas exorto, quod pace componitu ab Apolline Minervam et Martem inter se reconcili ante. Fuit ea de re singulare carmen epicum, Thes protis dictum, cf. Paus. VIII, 12, 5. Extat huius rei apud alios quoque scriptores memoria. Stepha nus Byz. s. v. *Βουνειμία* eam urbem in Epiro a Ulysse conditam esse narrat, qui ex oraculo Tiresiae, ut ad eos secederet, qui maris essent ignari, in Epi rum aufugisset. Aliam fabulam refert ex Sophoclis Euryalo Parthenius Erot. 3. Ulyssem oraculi monitu in Epirum venisse, ibique Tyrimmae filiam Euippe stuprasse, unde natus esset Euryalus. Eum postea mater cum signis quibusdam in Ithacam misit, ubi

patre, quem Penelope irata ob amorem coniugis in Euippen contra eum excitaverat, ignaro quis esset occisus est.

Post mortem reginae Callidices Ulysses deinde in patriam rediit, filius autem eius Polypoetes regnum Thesprotum tenuit. Interea Telegonus Circes et Ulysses filius, ut patrem quaereret circumerrans, ad Ithacam naves appulit et patrem ignorans occidit. Sic Proclus ex Eugammone, cf. Lucian. Ver. H. II, 35; Tzetz. ad Lyc. 794. Schol. Od. Eust. ad Od. λ, 153. Serv. ad Aen. II, 44. Dictys VI, 15 omnem rem accuratius enarrrat, Ulyssem multis insomniis perturbatum cum consulisset de iis vates, responsum accepisse, ut ab insidiis filii sibi caveret. Telemachum itaque ab eo in agrum Cephalenium relegatum esse. Tum advenisse Telegonum, eumque cum a custodibus terrae aditu prohiberetur, vi adversum eos usum esse et patrem in eo tumultu necasse. Iaculum autem quo tranfixit patrem insigne erat cuspide ex osse piscis alicuius facto, cf. Eustath. ad Od. λ, 133. Oppian. Pisc. 496. A tragicis poetis haec res narrata fuerat carminibus, cf. fragmm. Sophocl. ed. Both. p. 63; Hyg. fab. 125; 126; 127; qui Telegonum ad Ithacam naufragio facto cum agros depopularetur, ab Ulysse prohibitum esse et eum ibi patrem necasse tradit. Tzetzes ad Lycophr. 794 Ulyssem pro gregibus suis fortiter pugnantem occisum esse dicit, cf. Tzetz ad Lyc. 805.

Telegonum deinde Telemachum et Penelopen et patrem mortuum secum ad matrem advexisse narrabat Eugammon; Circe autem immortales eos fecit et nupsit Telemacho, Telegono autem Penelope; monitu Minervae ea facta esse narrat Hyg. f. 127; in insulis beatorum, Tzetz. ad Lyc. 805. Aliam de Penelope narrationem supra commemorabam; filiam ex ea Ulyssem

genuisse refert ex Thesprotide Paus. l. l. Telemachum alii Nausicaam uxorem duxisse tradiderunt, Hellanic fr. 94 p. 123. Dict. VI, 6. Suid. s. v. Ἀνδροκίδης; qua filium genuisset Ptoliporthum; Persepolin eum filium nominat Stephanus Byz. s. v. cf. Eustath. ad Od. π, 118. Hesiodus uxorem Telemachi Nestoris filiam Polycasten fuisse tradiderat, Eust. l. l. Telemacho filium Latinum e Circe, Telegono e Penelope Italum natum esse Hyginus f. 126 refert. Fuerunt etiam civitates Italiae, quas ab his conditas esse dicerent; sic ex Aristotele Plutarchus Parall. 41 refert, Praenesten ab eo conditam esse, Argyllinae auctorem eum Servius memorat, ad Aen. VIII, 479; Telemacho Clusium originem debere memorabant, cf. Serv. ad A. X, 167; Romen eius filiam dici supra referebam, eum a Sirenibus occisum esse fabulatur Ptol. Hephaestion ap. Ph. p. 253. l. 17.

Trampyiae in Epiro divini honores Ulyssi exhibiti esse dicuntur, Tzetz. ad Lyc. 800; Oraculum eius idem commemorat ex Aristotele ad v. 799.

Opportunus hic locus videtur, ut paucis de facinore illo mulierum Troianorum agam, quae naves eorum, qui eas captivas ducebant e patria, combussisse dicuntur, et urbem quandam condidisse. Id non uno loco non uni Graecorum principi accidisse narratur, ut Strabo VI, p. 405 dicit. Agamemnonis captivas id, postquam Cretam appulissent, inter sacrificium fecisse refert Suidas s. v. οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν; Strabo l. l. pag. 402 Neaethum oppidum in Italia inferiori eo modo conditam esse tradit, qui vero ii Graecorum fuissent, non nominat. Priami sorores Aethyllam Astyochen Medesicasten ut captivitatis et servitutis miseriam effugerent, id consilium ceteris dedisse et in eo exequendo principes fuisse narrat Tzetzes ad Lyc. 921; cf. Conon narr. 21. Eadem nomina filiarum

Laomedontis Tzetzes ad Lyc. 91 exhibet, (cf. quae dicebam p. 35), sed magis veri simile videtur, fuisse eas Priami filias, non sorores. Romen quandam id consilium invenisse tradit Plutarchus de virt. mul. in. et Dionysius; Setaeam quandam nominat Tzetzes ad Lyc. 1075; quae ob id in crucem acta esset, cf. Steph. Byz. s. v. Σηταῖον; Stephanus idem in Thracia accidisse narrat, s. v. Σκιώνη. Antiquam Graecorum carminum fabulam Virgilius itaque, dum idem facinus narrat, expressisse videtur Aen. V, 605 sqq.

De reliquis Graecis principibus minus frequens apud alios scriptores fit mentio, sunt tamen in iis multi, a quibus civitates in variis terris conditae esse narrantur. Eorum principum prae aliis meminit Lycophron in carmine suo obscuro, cuius interpres Tzetzes pluribus verbis reconditam huius auctoris doctrinam exponit. Quidquid praeterea apud alios scriptores de his rebus inveni, coniunctim apponam; in quo veniam mihi dent rogo historiae antiquae scrutatores, qui de originibus Graecarum coloniarum fortasse longe alia explorata habent. Quippe meum non esse putabam, quid veri in traditis narrationibus inesset perquirere, sed fabulas varias, quae per antiquitatem ferebantur, ut apte finiretur hicce libellus, quoad possem accurate referre.

Elephenorem itaque, quem in pugna occisum memorat Homerus Il. δ, 467, in Epirum post Ilii excidium venisse dicunt ibique Apolloniam condidisse, Tzetz. ad Lyc. 1034; cf. Schol. ad. Ap. Rh. IV, 1175, tenuisse Abantes regionem continentis contra Corcyram. In Illyrico ab eo oppidum Abantiam conditam esse dicit Steph. Byz. s. v.

Antiphus ad Pelasgos in Thessaliam navigavit, Tzetz. ad Lyc. 911.

Phidippum Cypri consedisse idem narrat Ephyram in Thesprotia eum tenuisse narrat Velle Pat. I, 1.

Calchas Leonteus Polypoetes et Podalrius pedites in Ciliciam profecti sunt; Tzetz. ad 980; Eust. ad Il. β, 135 p. 153 Lips. Clara imprmis de Calchante memoria est, cf. Hesiod. fr. 14 quod Strabo XIV, p. 951 servavit. Quae de eo narrantur coniuncta sunt cum fabulis de Mopso et Amphilocho; qui tres ab Homero non commemorati a posterioribus in catalogo quoque Graecorum nominabantur, cf. supr. p. 71 sq. Haec autem est fabula. Oraculum editum fuerat Calchanti, moriendum ei fore siquando in aliquem qui magis artem vaticinandi calleret, incidisset. Advenit autem in eo itinere Colophona. Ibi Mopsus, filius Mantus quam Tiresias genuerat et Apollinis, regnabat insignis prae omnibus auguriorum scientia et arte vaticinandi. Inter hunc itaque et Calchantem certamen exortum est, uter eorum vates praestantior esset, quod ut discernerent alter alteri quaestionem proposuit. Calchas autem Mopsum divinare iussit, quot ficus in quadam ibi ficu essent, quorum numerum et mensuram cum accurate Mopsus definisset, ille prae moerore statim exanimatus est, aut se ipsum occidit. De loco ubi id certamen habitum esset, dissensisse dicitur ab Hesiodo Sophocles, cf. Str. l. l. p. 993 B; adde Tzetz. ad Lyc. 427; 980; 1012; Serv. ad Ecl. VI, 72, qui totam rem ex Euphorione refert. Alii narrabant, quaestionem propositam fuisse, quot catulos sus gravida utero gestaret, in qua Calchas a Mopso victus esset; Pherecyd. ap. Strab. l. l. p. 952. Secundum alios non Colophone sed Clari Calchas mortuus est, Callinus ap. Strab. p. 951. Lucanos in Italia ab eo subactos esse Plinius H. N. III, 16 p. 647 refert et sacellum eius

in Daunia commemorat Strabo VI, p. 435. A sociis, quos secum Calchas et Amphilochus duxissent, Pamphyli in Asia minore originem suam repetebant, Herodt. VII, 91; Strab. XIV, p. 983. Inter Amphilochum et Mopsum non de praestantia in vaticiniis sed de imperio certamen exortum esse fabulantur; uterque enim cum Troia redirent Mallum condiderunt, postea Argos profectus est Amphilochus, ubi cum non is quem speraverat rerum status esset, Mallum est reversus. Sed nunc Mopsus eum ex urbe eiecit neque parem sibi in imperio habere voluit; in certamine inde exorto alter alterum interfecit. Strab. XIV, p. 993. Tzetz. ad Lyc. 439; 440; 1012. Aliam fabulam idem Strabo affert ex Hesiodo, Amphilochum Solis ab Apolline occisum esse, alii eum in campo Aleio obiisse narrabant, quo propter rixam illam secessisset. Argos quoque Amphilochicum condidisse dicitur, Thuc. II, 68, a qua diversam narrationem affert Strabo VII, p. 507. A. Sunt qui in Hispaniam traiecisse eum fabulentur, Iust. XLIV, 3, cf. Strab. III, p. 236 B. Malli in Asia minore clarum eius oraculum erat, cf. Lucian. Alex. 29; Deor. conc. 12, ibiq. intpp. Paus. I, 34, 3. Athenis etiam cultus est, Paus. III, 15, 8; Liv. 45, 27.

L e o n t e u s autem et P o l y p o e t e s in Graeciam redierunt. Podalirius secundum alios in Italia mortuus est; secundum alios Argos venit, tum Delphis vaticinatus est, deinde oppidum in Caria condidit, Tzetz. ad v. 1047; et Timaeus ap. eund. ad v, 1050.

T l e p o l e m i socii insulas Ibericas tenuisse dicuntur, Tzetz. ad v. 911; Scholiastes autem Pindari ad Ol. VII, 36 eos Rhodum redisse et eo ossa Tlepolemi secum deportasse narrat; certe uxor eius ibi post Ilii excidium secundum Rhodiorum narrationem regnabat, Paus. III, 19, 10.

Meriones Cressam civitatem in Paphlagonia condidit, Steph. Byz. s. v. *Κρῆσσα*; in Siciliam eum venisse tradit Diodorus IV, p. 323.

Boeotii in insulas Baleares traiecisse dicuntur, Tzetz. ad v. 632.

Cum **Teucro** Cyprum navigasse dicit Tzetzes ad Lyc. 447 **Agapenorem**, **Acamantem**, **Cepheum**, **Praxandrum**. De Teucro paulo pluribus veteres memoriae tradiderunt; erat quoque tragoediae argumentum, ut redux a Telamone e patria pulsus profugiebat. In Cypro eum Salamina oppidum ab Apolline iussum condidisse vulgaris narratio est, Pind. Nem. IV, 76 ibiq. Schol.; Strab. XIV, p. 101 B; Paus. I, 3, 2; 28 extr.; VIII, 5, 7. Vellei. Pat. I, 1; Dict. VI, 4; Virg. Aen. I, 620 ibique *Servius*; Virgilius errores eius tangit, per quos circumactus esset, ut Euripides Helen. in. eum ad Aegyptum delatum esse dicit. Alii autem eum in Hispania consedisse narrabant, Strab. III, p. 326, B; Iustin. 44, 3. Abduxisse eum secum Aiacis filios Aeantidem et Eurysacen uxoremque Tecmessam tradit Ioann. Mal. p. 155.

Acamantem et **Demophoontem** reiectos esse a patria refert Dictys VI, 1; Menestheum autem receptum esse a civibus. Hisce repugnant, quae Strabo XIII, pag. 923 B narrat, Eleam in Asia minore a Menestheo et iis, qui cum eo ad bellum profecti fuissent, conditam esse; quanquam ut Tzetzes ad v. 911 ait, Menestheus Melum venit; ea quoque diversa sunt, quae de rapto a Demophoonte Palladio (cf. supra p. 164, 171) dicuntur; pertinent autem huc, quae de eius erga Phyllida amore poetae cantant; Ovid. Heroid. II, Serv. ad Ecl. V, 10. De Acamante autem Strabo XIV, p. 1002 D tradit, ab eo et Phalero oppidum Solus in Cypro con-

ditum esse; Stephanus s. v. Σύνναδα eum in Phrygiam venisse dicit.

Agapenorem in Cyprum venisse memorat Strabo quoque l. l., et Paphum ibi condidisse; cf. Paus. VIII, 5, 2; 53 7. De Cepheo et Praxandro, cf. Tzetz. ad Lyc. 586.

Schedii et Epistrophi socii in Italia Temesam condiderunt, Tzetz. ad 1067; sed Homerus in Troade Schedium mortuum esse dicit Il. ρ, 306; cf. Paus. X, 42.

Nireus et Thoas per varios casus iactati sunt, primo Libyam delapsi sunt, tum in Epirum navigaverunt, inde in Siciliam traiecerunt; cf. Tzetz. ad 1011. Simulacrum Palladis, quod Thoas e Troade in Graeciam transportasset, Amphissaei servare gloriabantur, Paus. X, 38, 5.

Epeus in Italiam venit, Lacariae sedes fixit; Tzetz. ad v. 930. Steph. Byz. s. v. λαγαρία. Pisam ab eo conditam esse dicit Servius ad Aen. X, 179; cf. Iustin. XX, 2; Vellei. I, 1.

Protesilai socii Pallenen venisse dicuntur, Tzetz. ad Lyc. 911; ipsi divinus honos habitus est, Paus. I, 34 2; Lucian. Deor. conc. 12. Lepidissima fabula de amore Laodamiae in coniugem nota est, lege sis Serv. ad Aen. VI, 447.

Guneus, Prothous, Eurypylus Libyam venerunt, Tzetz. ad Lyc. 877, 899. Magnetes autem qui cum Prothoo navigassent Cretae consedisse narrat. De Eurypylo singularem narrationem affert Pausanias VII, 19, 6; cf. 21, 7, eum aut cum praeda divideretur accepisse aut invenisse forte cistam, in qua simulacrum Bacchi a Vulcano fabricatum et Dardano a Iove donatum inclusum erat. Aperta cista cum simulacrum vidisset, furore correptus est. Cuius morbi remedium quaerenti oraculum respondit, ut ubi homi-

nes ignota sibi sacra facientes vidisset ibi cistam de poneret et ipse habitaret, sicque eum in Achaeam ve nisse; dubitatum autem est, num hic Eurypylus Ei aemonis filius fuisset.

Haec quae olim a poetis geographis atque historici quorum scripta interierunt, accuratius enarrata erant nunc supersunt quasi lapidum inscriptiones, quarum lit teras tempestatis vis obscuravit et lapides ipsos arro sit. Ut autem viator, coniectura quis inscriptio nis sensus sit, assecutus, eo magis gaudet dum reli quias antiquitatis contemplatur, dum monumenta e ruinas perquirit, nunc enim cui usui olim aedifici destinata fuerint, divinare potest, sic animi nostr commoventur, dum fragmenta antiquorum poetaru legimus; sunt enim quasi singuli soni, qui e concentu tot ingeniorum ad nostras usque aures appulerunt. Ferebantur ea carmina olim per ora hominum, gloriabundi cives conditores civitatum *suarum* heroas praedicabant, poetae quasi praecones maiorum facinora eorum extollebant, quorum memoria sacra incendebat in omnium pectoribus ferocem illum patriae amorem, quo inflammati victores Persarum despicientes barbaras gentes immortalem gloriam rerum gestarum splendore adepti sunt, monumentaque artis sempiterna omnium hominum exemplaria statuerunt; nunc ea omnia abstulit aetas et tristes modo supersunt urbium reliquiae et ruinae, celebrabit autem posteritas semper famam virtutis eorum, quae sola clara atque aeterna habetur.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 10 lin. 20 lege Zingarorum; eo vocabulo scriptoribus medii aevi usitato usus sum, ut significarem gentis nescio cuiusreliquias, notos artibus et fraudibus magicis homines, quos Graeci nunc Τζιγγάνους, nos Zigeuner appellamus.

Pag. 13. de Lino accurate egit Welckerus in ephem. litter. Darmstad. (allgem. Schulzeit. 1830 Nro. 2 sqq.), qua Viri doctissimi disputatione edoceri possunt harum rerum studiosi.

Pag. 28 lin. 23 lege ludentes.
„ 35 „ 13 „ quas.
„ 37 „ 13 „ Combureretur.
„ 42 „ 24 „ comma ponatur post adimeret.
„ 50 „ 24 „ videtur.
„ 56 Ex Hesiodi carminibus Scholiastes Pindari Od. Nem. X, 150 affert, Helenam filiam Oceani et Tethyos fuisse.

Pag. 67. cf. quae Müllerus (de cyclo Graecorum epico pag. 88) de hac discrepantia inter Homerum et Cypria carmina ait.

Pag. 72. lin. 17. post Ὀιλέως pone signum interrogationis.

Pag. 73 lin. 13 l. κάλλιον δέ τι.
„ 86. „ 2 comma post neque deleatur.
„ 98 „ 23. lege prohibuissent, certamen primo, mox etc.
„ 101 „ 5 omissum est Hyginus post recenset.
„ 108 „ 3 l. Dictyn.
„ 128 „ 20 „ vivi.
131 Koehleri dissertatio nunc inesse dicitur tomo duodecimo memoriarum societatis imperialis Petropolitanae.

Pag. 147 l. 20 lege immissis.

„ 162 Nescio an errans Didymus id a Nauplio factum esse dicat quod alii aliter narrabant. A parentibus in mare praecipitatam esse Penelopen tradebatur, cf. Schol. Pind. Ol. IX, 85.

Quae praeterea errrata supersint, ea lector benevolus rogo ipse corrigat; inprimis quod in sententiis interpungendis peccatum erit, uti confiteor accidisse etsi diligenter me praecavente, id ne mihi culpae tribuatur, oro atque obsecro.

INDEX AUCTORUM,

quorum loci aut emendantur aut explicantur.

Apollodorus, pag. 23, 29, 81.
Dictys Cretensis, pag. 49; 60; 105 sq.; 111; 114; 115
Hellanici fragmentum affertur pag. 72.
Hyginus, pag. 41 et saepius in eo capite.
Ioannes Malelas, pag. 72.
Lucilius, pag. 163 sq.
Scholiastes Homeri, pag. 22; 26; 103; 123.
„ Euripidis pag. 151.
Seneca, pag. 108.
Stephanus Byzantinus pag. 87.
Virgilius, p. 67., 136.

INDEX RERUM.

* Ea quae e titulo cuiusque capitis, ubi de iis sermo sit, cognosci possunt, omittenda esse iudicabam. Numerus paginam indicat.

Acamas Thesei filius, legatus missus, 41; 71; 151. 188.
Acastus Peleum regno privat, 166.
Achillis nomina 84. filii, 87.
Actor 79, 78.
Adrastus socius Agamemnonis in imperio, 70.
Aegina Aeaci uxor, 77.
Aegisthus, 172.
Aeneas Patriae proditor, 140; 155; errores 157.
Aerope Plisthenis uxor, 21.
Aesacus Priami f. 35.
Aethra Thesei mater captiva, 62; 151.
Agamemnonis filiae quot fuerint, 95, errores, mors 169 sq.
Agapenoris errores, 189.
Agenor Europae pater aut avus 20, 24.
Agrii filii Oeneum vexant 125, 163.
Agrius Ulyssis f. 179.
Aiax Oilëi 77; mors 160 sq.
Aiax Telamonius iratus Agamemnoni, 91; eius filii 112.
Althemenes, 21.
Amazones, 123.
Amphilochus Amphiarai f. 71; 186 sq.
Amymone 88.
Anchises in Graeciam proficiscitur, 32.
Andromache Pyrrhi captiva 151; Heleni uxor sqq.
Anius 40. eius filiae, 96.
Antenor legatos excipit 68; patriae proditor 140; eius errores 155.
Antias Ulyssis f. 179
Antilochus 70; eius mors 126.
Antiphus 185.
Argynus amasius Agamemnonis 96.
Ardeas Ulyssis f. 179.
Ascanius 156.
Assaracus 27.

Astyanax Hectoris f. 152.
Astynome Chryseis 110, 114, 119.
Astyoche Priami soror 134.
Atreus Minois f. 20.
Auge 99.
Auson 179.
Baius Ulyssis socius socius, 181.
Boeotii in insulas baleares errant, 188.
Bunomus Paridis f. 144
Calchas, p. 186 eius mors. ibid.
Callidice, Ulyssis uxor, 182.
Calypso 179.
Cassandra 149; 151.
Cassiphone Ulyssis f. 179.
Catalogus Troianorum, 115.
Cephei errores, 188.
Chiron Centaurus 80, 82, 84.
Chorizontum opinio, 61.
Chryses sacerdos, 113.
Chryses Agamemnonis f. 112
Circe 179.
Clymene Atrei f. 21.
Clymene Hippalci f. 63, 151.
Clytius 33.
Corythus Paridis f. 102.
Cycnus Neptuni f. 105, 129.
Cyclops 178.
Danaus, 24.
Dardanus, 24 sq.
Deiphobus occisus, 148.
Diomedes Achilli oratus, 125; in Italiam fugit, 163 sq.
Dolonis caedes, 116.
Electra Atlantis, 24.
Etectra Agamemnonis, 95.
Elephenor. 185.
Epipola Trachionis f. 90.
Epeus, 72, 146, 189.
Epistrophus, 189.
Erichthonius, 26.
Erigone, Aegisthi f. 172.
Euandrus, 32.
Euphorion Achillis f. 131
Euryalus Ulyssis f. 18[illegible]
Europa, 19.
Eurypyli, reditus, 189.
Eurytus, 79.
Ganymedes 27.
Gunei, errores, 189.
Hecubae genus, 36, Ulyss[illegible] serva, 152; eius mors 1[illegible]
Hector occisus 121; in Graeciam venit, 63.
Helenae liberi, 95; in Aegyptum adventus, 6[illegible] mors, 177
Helena Aegisthi f. 172.
Helenus captus 137; in[illegible] ro, 152.
Hemera, 127.
Hercules, 30.
Hermione Menelai f. 16[illegible]
Hicetaon, 33.
Hiera, Eurypyli mater. 135.
Hippodamia Briseis, [illegible] 110, 115.
Homerus non novit [illegible] lam de iudicio Pa[illegible] 38; Helenam deam [illegible] ri, 54; duplex eius

ratio de Pelei nuptiis, 86 sq. ignorat sacrificium Iphigeniae, 82.
Idomeneus 21, 76, errores eius, 169.
Ilus, 27.
Italus Telegoni f. 184.
Lampus, 33.
Laocoon, 147.
Laomedon 29; eius liberi, ib. et sqq.
Latinus Telemachi f. 184.
Ledae maiores, 54.
Leontei errores, 186.
Meda Idomenei uxor, 169.
Menelai liberi, 59. errores, 175, regni sedes, 63.
Meriones 21, errores eius, 188.
Minos, 29.
Monitores dati heroibus, 86.
Mopsus, 186.
Mulieres Troianae naves incendunt, 184.
Mynes, rex Lyrnessi, 108.
Nausicaa Telemachi uxor, 184.
Nausithous, Telemachi f. 179.
Nemesis, 56, 81.
Neoptolemi errores et mors, 166 sqq.
Nestoris uxor, 22; socii in Italia, 165.
Nomina commutantur, 30.
Oeax Nauplii, 21; 162.
Oeneus 125, 163.
Oenone Paridis uxor, 138.
Orestes 165 sqq.
Palladium, 143, 153.
Pamphyli, 187.
Pan, Penelopes f. 181.
Panthus Troiam ductus, 32.
Paris, 37, eius liberi, 144.
Patroclus, 77, 87.
Peleus, 77 sqq. mors eius, 167.
Pelius Vulcani, f. 119.
Pelops, 29, 73.
Peneleus, 135.
Penthilus Orestae f. 172.
Persepolis Telemachi f. 184.
Phalas Phoenicum dux, 126.
Phidippus Cyprum tenet, 186.
Philoctetes, 102; 106; 118; 169.
Phocus, 79.
Phoenix Europae pater, 20.
Phoenix Achillis socius, 87, mortuus 169.
Pirithous, 57.
Plisthenes, 21.
Podalirii fata 189.
Poemandrus, 96.
Polycasta Nestoris f. Telemachi uxor 184.
Polymela Aeoli f. 179.
Polypoetis errores, 186.
Polypoetes Ulyssis f. 183.
Polyxena Priami f. 119, 150.
Polyxo, Tlepolemi mater, 177.
Praxandrus, 188.
Priami mors, 149.
Protesilaus, 104; eius socii, 189.
Prothoi reditus, 189.

Ptoliporthus Telemachi f. 184.
Pylaemenes, Paphlago, 36.
Plades Electram duxit, 175.
Rhesus, 117.
Romanus Ulyssis f. 179.
Rome Telemachi f. 184.
Schedii errores, 189.
Sminthe oppidum, 113.
Strophius Orestem educavit 173.
Tantalus 29.
Telamon 77.
Telemachus a Sirenibus occisus 184.
Tennes. Cycni f. 105, 110.
Teucri, errores, 188.
Teuthis Arcadiae rex, 96.
Thersandrus Polynicis f. 71
Thersites, 125.
Theseus 86, 95; rapuit Helenam, 67.
Thoas quo erraverit, 189
Tlepolemi socii, 187.
Trambelus Telamonis f. 1
Ulyssis genus et nomina
errores mors etc. 177